



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

Sacra Scriptura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)


L. Dicimus III. Non posse hic teneri illam, quæ in Corporibus naturalibus contemperandis, in fœderibus principum pangendis, in sententijs litium ferendis servatur moderatio. Nam in hisce juris, rei quæ suæ remissionem suadet infita Naturæ benignitas, & pro rationum momentis flexilis illorum in diversa indoles, ut pervicaciæ detur nimia in iisdem retinendis firmitas. At de Religione, quando controvertitur, non est in potestate Litigantium in placidas utrinque conditiones convenire; veritatis enim causa agitur, & ejus Veritatis, de quâ summæ atque increatæ veritatis æternum decretum habemus. Quidquid de illâ veritate mutatum fuerit, sacrilegium, quidquid additum, abominatio est.

LI. Misa igitur communis pacis curâ per Adiaphoriam inducendæ, quisque suæ potius Animæ paci æternæque saluti consulat, ita ex eadem Adiaphoriâ, & ijs, quæ hætenus dicta sunt, prudentissimè discurrendo. Catholici Doctores magno Authoritatis & Religionis pondere asserunt, salvari neminem posse extra Romano-Catholicam Ecclesiam: Omnes aliarum Sectarum Theologi concedunt in suâ quemlibet Fide ac Religione Christianâ salutem æternam obtineri posse. Ut igitur in re summi momenti, æternamque animæ salutem concernente securissimè juxta ac sapientissimè procedam. Antiquam, Catholicam, Romanam Fidem & Ecclesiam amplectar; in hac namque ex communi omnium Theologorum sententiâ salvari servarique æternum poterit: minimè verò in quavis aliâ Fide & Sectâ juxta Catholicorum Doctorum assertionem authoritate & ratione gravissimam. Sic olim Henricus IV. Magnus Franciæ Rex sagacissimè discurrens, idque maximo suo bono; Regnum quippe Galliæ hæc ratione obtinuit, & ad Cœleste Regnum sibi jus acquisivit. Sapientissimi hujus Regis Exemplum quisquis fuerit secutus, non minore id bono suo faciet; veram namque animi pacem Regno quovis optabiliorem obtinebit, & Regni Cœlestis promissionem à CHRISTO JESU habebit.

LII. Hinc etiam laudo Theodorum Beza Calvinistam, quem de cætero minimè laudo, quod multis Catholicis ad se inviseribus, & de vera fide sollicitis consilium dederit, ut in Catholica Fide permanerent, affirmans, rectè id eos facturos, & minimè salutis periculum esse subituros, ut ex viris gravibus sæpius se audivisse testatur Jacobus Gualterius in Tabula Chronographica fol. 191. de Apellitis, qui antiqui hæretici, & Adiaphoristarum prodromi itidem voluere, quemlibet in sua fide salvari posse. Hoc idem Bezæ celebris Calvinistæ consilium dedit matri suæ Philippus Melanchthon insignis Lutheranus, imò Confessionistarum Author & Promotor. Nam, ut scribit Florimundus de Remond de origine hæresum part. 2. cap. 9. fol. 288. cum anno 1560. ad ipsum in ultimo morbo decumbentem inviseret Matrem suam grandævam jam Anus, his illum verbis allocuta fuit. Fili mi, vides te morti proximum brevi ex hac vita discessurum, & ad severum supremi Judicis tribunal sistendum, ubi omnium, quæcunque egeris, ratio Deo erit reddenda. Nosti me inter Catholicos natam & educatam, horum fidem diu tenuisse: te autem authorem mihi fuisse & causam, cur fidem illam mutarim. & aliam fidei Patrum meorum con-

trariam acceptarim. Adviro igitur te per Deum vivum, ut jam dicas mihi, quæ Fides sit vera, & me salvare possit, nihilque me de veritate celes? Adhæc Melanchthon: Mater mea, inquit, hæc doctrina nova gratissima est: illa antiqua securissima & certissima. Mox in alterum se latus versans magno clamore in ista verba erupit: hæc nova Lutherana plausibilior: illa fides antiqua Catholica est securior.

LIII. Quisquis igitur securus de vera Fide esse vult, antiquam Catholicam, Romanam amplectatur. Est quidem apud imperitos homines fides seu Lutherana seu Calviniana seu alia quævis ex modernis Sectis plausibilior; quia spatiosa est via, & lata seu libera porta à necessitate confitendi, jejuniandi, decreta Pontificia observandi, opera bona & penitentia agenda &c. Attamen apud Viros Sapientes Verior est Fides Catholica; quia angusta est via, & arcta porta ob timorem judicij, opera penitentiae, observationem legum tam divinarum quam Ecclesiasticarum, confessionem, jejunium &c. Intrate, inquit Christus æterna Veritas & Salvator mundi Matth. 7. v. 13. Intrate per angustam portam, quia lata est porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam! Hæc autem verba ipsius Christi æternæ Veritatis quàm à Veritate forent aliena, si in sua quisque fide Christiana salvari posset?



SACRA SCRIPTURA.

I. **P**onimus Sacram Scripturam primo loco. Tum quia, ut in partitione hujus Operis diximus, ex Sac. Scriptura & Authoritate S. Spiritus sumi oportet inextinguibilia fundamenta ad Fidem defendendam. Tum quia in hanc veluti scopulum primo & gravissimè impingunt hæretici, dum ex ea male intellecta omnes fere suos desumunt & pertinaciter tuentur errores. Imò nostri temporis Sectarij nihil credendum putant, nisi in Sac. Scriptura expressum, quam secundum suum quivis libitum explicat, neglectâ Ver. Doctorum & Ecclesie interpretatione; quibus erroribus alij sponte suâ concidunt, sicuti mœnia suffossis & incensis cuniculis corruunt, ut ita semper negotium habituri simus cum Sac. Scriptura.

II. Vocatur autem Sacra Scriptura in proposito illa, quæ Spiritu Sancto inspirante seu distante concinnata fuit, & per hominem velut calamus quemdam divinâ Manu regente exarata secundum illud Psal. 44. v. 21. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Quamverò nos vocamus Scripturam, Græci vocant Biblia, hoc est, libros, utrinque per antonomasiam, nomina generalia omnibus scripturibus & libris communia appropriando Verbo Dei scripto & in libros redactio tanquam præstantissimo. Eadem Sac. Scriptura dicitur etiam Canonica, vel quod ipsa sit Canon; id est, Norma & Regula fidei, cui benefacimus attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, 2. Petri. v. 19. vel quod ejus libri Canone Ecclesiastico notati & descripti sint, ut notavit D. Augustin. tum ubi, tum contra Faustum L. 22. c. 79. ubi ait: has Scripturas Canon Ecclesiasticus respicit.

III. Tria autem universim sunt, quae de Sac. Scripturae controvertuntur. 1. Est Auctoritas. 2. Sensus. 3. Usus illius, de quibus in praesenti decidendum.

CONTROVERSIA II.

AN DETUR SCRIPTURAE DIVINA & Infallibilis: & unde constet, hunc vel illum Librum habere Auctoritatem Sac. Scripturae, & esse Canonicum?

I.

Questionem, unde constet, hunc vel illum librum esse Sac. Scripturam, recte dixeris vexatam, adeo pungit & vexat haereticos, ut extricare ex ea nunquam se potuerint. Ut igitur responsum evitarent, eo tandem venerunt, ut dicerent, illam questionem esse curiosam, non necessariam, ineptam, & indignam Christiano. Curiosam, inquit, iudicio S. Augustini Lib. 6. Confess. c. 5. ita DEUM alloquentis: *Persuasisti mihi, o DEUS, nec audiendos esse quidem, si qui forte mihi dicerent, unde scis, illos Libros unius, veri, veracissimi DEI Spiritu esse humano generi ministratos?* Non necessariam, quia inter nos & illos non est controversia, an Biblia sint Verbum Dei, sed utriusque hoc fateatur. Ineptam, quia prima Principia supponenda sunt, non in questionem trahenda. Atqui Sac. Scripturam esse Verbum Dei est primum Principium & Fundamentum Fidei. Ergo non disputandum, sed supponendum. Indignum denique Christiano, quia per eam tota Christianitas in dubium vocatur. Ita praeter alios Sectarios recentissimè Meno Hanneckenius Lutheranus, & Wilhelmus Hülsius Calvinista quorum iste detestatur Jesuitas, quod in Orbem invexerint questionem istam, an istud Evangelium S. Matthaei sit S. Matthaei?

II. Verum questio haec non est nova, & à Jesuitis recens inventa, sed perantiqua, ut videre est apud D. Thomam 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. Ubi cum eo Theologi in communi de motivis evidentis credibilitatis mysteriorum Fidei fusè tractant. 2. Non est curiosa; quia id inquirere, à quo Fides & consequenter salus aeterna dependet, non est curiosum; quippe si pro Verbo Dei aliquid scitium reciperemus, tota Fides nutaret. D. Augustinus loc. cit. non loquitur de Scriptura nudè secundum se spectata, sed jam per traditionem Ecclesiae approbata, puta si quis non contentus alias evidentes rationes exigeret, ut faciebant Manichaei, quos ibi tacite perstringit, sanè absurdè faceret; sic enim loquitur S. Pater: *Persuasisti mihi, o DEUS, non qui crederent libris tuis, quos tamè in omnibus fere Gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos.* Hoc responso rejicitur speciarim Gerhardus L. 1. à fol. 52. ubi S. August. & alios Authores in seicite contra nos adducit. 3. Non est frustranea & absque necessitate & fructu; nam licet inter nos & illos generatim conveniat, S. Scripturam esse Verbum Dei, non tamèn convenit, nec de numero librorum, quinam sint Verbum Dei, nec

de fundamento, cur sint Verbum Dei; si enim in hoc nobiscum convenirent, non dissentirent in alijs fidei punctis. Multum igitur refert, hujus questionis fundamentum indagare. 4. Non est inepta. Nam Scripturam esse Verbum Dei, non est primum principium, quia non est per se notum, cum multa spargantur pro Verbo Dei, quae non sunt. Ut Talmut Judaeorum, Alcoranus Turcarum, Evangelium Nicodemi, Petriodus Pauli & Theclae, &c. oportet ergo aliud principium quærere, quo Verbum Dei verum à falso discernatur. 5. Denique non est indigna Christiano, ut sibi imaginatur Meno Hannecken in suo Irenico fol. 592. quia per hanc questionem non vertitur in dubium tota Fides Christiana, sed magis firmatur, declaratur, ac propugnatur. Rejctis igitur istis frivolis effugijs decisionem propositae controversiae aggrediamur.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

III. **D**octrina Prima. Datur de facto Sacra Scriptura, cujus Auctoritas est divina, Sacrosancta, & certissima, ut nefas sit, eandem in re etiam levissima vel minimi erroris à Scriptore Canonico profecti arguere. Prima pars desumitur ex suavi & consueta Dei Providentia res omnes ita gubernantis, ut cujuslibet natura exigit. Cum igitur corpore & anima constemus, & facilius corporalia, quam Spirituality capiamus, convenit per corporales litteras, quas cerneamus & legeremus, à Deo nos doceri, quid de se credi, & quid à nobis fieri sibi velit. Et sic ex divino beneplacito nos de facto gubernari, extareq; Scripturas, aperte docent Moyses, Prophetæ, Christus ipse, Joannes, & Apostoli, qui divina dogmata vel ipsi ex Scripturis confirmabant, vel certè ad has legendas alios hortabantur. Eandem Scripturarum existentiam testatur universitas Christianorum, & consensus Gentium.

IV. Altera pars doctrinae, nempe Scripturas esse divinas, Sacrosanctas & certissimas, constat. Tum ex veritate vaticiniorum; nam, ut ait S. Augustinus Lib. 12. Civit. cap. 9. *inter cetera, quae dixit, verà divinitate prae dixit.* Tum ex incredibili & planè divinà conspiratione tot virorum, qui diversis temporibus, locis, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt, ut non tam ipsi Scriptores diversi, quam unius Scriptoris diversi calami fuisse videantur. Tum ex miraculis, quibus Deus veritatem & Sanctitatem Scripturarum manifestare voluit; scribit enim D. Athanasius Epist. de interpretatione Psal. daemones Biblijs applicitis fuisse fugatos; quia scilicet mendaces Spiritus divinam Scripturarum veritate sustinere non potuerunt. Refert etiam Josephus L. 12. Antiquit. c. 2. Theopompum & Theopectium ethnicos Scriptores quibusdam locis Bibliorum abusos mox divinitus fuisse punitos, priorem amentiam, posteriorem caecitate. Et sanè necessum est, omnem omnino à Scripturis arceri errorem; admisso enim in tantum Aucto-

ritatis fastigium aliquo mendacio, (aut errore) nulla particula horum librorum manebit; quæ non possit in dubium revocari; ut præclare advertit S. Augustinus in epist. 8. ad Hieronymum.

V. Sed difficultatem movet illud Matthæi 27. v. 9. *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam Jeremiam dicentem: Et acceperunt 30. argentes &c.* Ubi manifestè videtur, errore quodam positum nomen Jeremiæ pro Zacharia. Negant quidam, quos refert & sequitur Cornelius à Lapide in Zachariam c. 11. v. 13. illo id errore accidisse, sed eadem omnia in Jeremia extitisse (ut in Apocrypho uno exemplari vidisse se testatur Hieronymus) sed intercuisse, vel à Judæis erasa fuisse. Alij errorem agnoscunt, sed incuriæ librorum eum adscribunt. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Liranus, Jansenius, Franc. Lucas, Maldonatus, Suarez, Tanner, Baronius ad annum Christi 34. & alij, quorum opinio probabilior videtur. Nam Matthæus non solet exprimere nomina Prophetarum, quos allegat. Et textus Syriacus ac nonnulli codices Latini (quorum unum adhuc videre est Romæ) non habent nomen Iremiæ, sed Zachariæ, qui cap. 11. v. 13. similia habet. Videri potest Tirinus in cit. textum Matthæi & Zachariæ, ubi etiam locos indicat Authorum, quos adduximus.

VI. Nihil proinde dubitandum de infallibili Autoritate Bibliorum, quod contineant Verbum Dei, qui nec falli, nec fallere potest, cum sit essentialiter infinita Dei veritas. Unde Christus dixit Matth. 24. v. 35. *Cæli et terram interitura, quam unicum verbum Dei falsificetur.* Quod ramen intelligendum est de verbis Dei ritè intellectis; subinde enim quædam videntur falsa, vel quia malè intelliguntur, vel tacitam conditionem continent, qualium ingentem numerum affert Jacob Tirinus post finem Commentariorum suorum in totam Sac. Scripturam, Indice quarto Antilogiarum seu apparentium Contradictionum.

VII. Afferamus præter hæc unum alterumque locum, qui nisi ritè intelligantur, falsitatem præ se ferre videntur. 2. Paral. 7. v. 16. Salomoni templum DEI dedicanti promiserat Deus: *Elegi & Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus;* quod tamen non videtur præstitisse, quia jam templum illud funditus dirutum est, & à DEO desertum. Intelligenda igitur æternitas hujus promissionis non strictè pro infinita duratione, sed laxiùs pro valde longa plurimum sæculorum duratione; Sicuri Micheæ 4. v. 5. legimus: *Ambulabimus in nomine Domini DEI nostri in æternum & ultra,* cum tamen ultra æternitatem infinitam nihil possit existere. Itaque more heræorum æternitas pro longissima duratione sumitur. Similiter Marci 16. v. 16. ait Christus discipulis suis: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creatura. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit;* intellige, si gratiam in baptismo acceptam usque ad mortem conservaverint per observationem mandatorum DEI, vel saltem per penitentiam recuperaverint. Idem Joh. 14. v. 13. dicit: *Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam;* intellige, si debito modo cum debita fide & constantia aliquid utile ad salutem vestram, & DEI gloriam petieritis; alioqui sæpe falleret hæc promissio. Atque hinc plerique errores hæ-

reticorum pullulant, quod verba Scripturæ nimis crasse & grammaticè accipiant, non inspectis alijs locis Scripturæ, nec consideratis circumstantijs.

VIII. *Doctrina Secunda.* Autoritatem Bibliorum, quod hi vel illi libri à DEO dictati sint Verbum DEI, aliunde nobis non constare, quàm ex traditione Majorum, & Ecclesiæ definitione. Ita omnes Catholici, & jam olim D. Augustinus lib. 28. contra Faustum c. 11. sic scribens: *Sicut ego credo, illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus certâ Prepositorum vestrorum successione ad nostra usque tempora custoditus atque perducitus est, sic etiam istum librum credo esse Matthei, quoniam ex illo tempore, quo Mattheus in carne vixit, non interruptâ serie temporum Ecclesia certâ connexionis successione usque ad nostram tempora ita perduxit.* Et lib. cont. Epistol. Fundamenti c. 7. Ego, inquit, non crederem Evangelio, nisi me commoveret Ecclesia Catholica Autoritas. Unde & ipse Lutherus autoritatem Ecclesiæ hac in re negare non fuit ausus, ita lib. de Captivitate Babyl. scribens Tom. 2. Wittenberg. fol. 88. *Hoc sane habet Ecclesia, quod potest discernere Verbum DEI à verbis hominum, sicut Augustinus confitetur, se Evangelio credidisse motum Autoritate Ecclesiæ, que esse Evangelium prædicat.* Posset quidem Deus alijs modis suam Scripturam manifestare v. g. per Angelos, per Prophetas, per Miracula, per internas illuminationes &c. attamen ordinarij medium agnoscendi veram Scripturam voluit non esse aliud, quàm Autoritatem Ecclesiæ: atque hanc sufficere ad certam Scripturæ notitiam parandam.

IX. Probatur ex Sac. Scripturâ infallibilem Ecclesiæ autoritatem tribuente 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia Dei vivi est columna & firmamentum veritatis.* Ergo ex hujus definitione constare nobis certè potest, quinam libri sint Canonici & Sacræ Scripturæ. Confirmatur. Ecclesia declarare potest articulos Fidei, quinam ut tales sint tenendi ac credendi. Ergo etiam decidere potest, quinam libri pro Canonicis sint habendi. Consequentia est clara. Antecedens ostenditur ex eo, quod Ecclesia jam olim obortis dubijs circa legitimum Sac. Scripturæ ab omnibus receptæ sensum, aut Fidei articulum potuerit decernere: & hujus decreto Fideles acquieverint. Sic Anno 258. obortis dissensionibus circa articulum, utrum hæretici baptizati & ad Ecclesiam Catholicam conversi essent rebaptizandi, Stephanus Romanus Pontifex statuit & declaravit, illos non esse iterum baptizandos, cui statuto & declarationi Patres acquieverunt, & in plenario Concilio Nicæno per novam definitionem hunc Fidei articulum stabilierunt, ut testatur S. Augustin. lib. 1. de baptis. c. 7.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETICORUM.

X. *Error Primus est.* Non extare ullam Scripturam Sacram Deo inspirante conscriptam, ac regulam Fidei infallibilem. Ita Gaspar Svvencfeldius, & Libertini, qui Scripturas ac Scriptores Sacros impiè rident, ac pro fabulis habent: atque interim suos enthusiastas pro

pro vivo, vero, atque unico Dei verbo jaçant. Error iste risum potius, quam refutationem meretur. Quasi verò, quem Spiritum DEI isti phanatici enthufiasti sibi familiarissimum gloriantur, is Prophetis & Apostolis Dei inter scribendum vel omnino non adfuerit, vel merè otiosus ac mutus astiterit, nihil quicquam conferens ad scribendum. Et si etiam in hunc modum erga sanctissimos viros se exhibeat Spiritus Sanctus, tunc profectò ipsimet Phantasia nec Spiritum Dei habent, nec quicquam ex Deo loquuntur, adeoque nec hoc ipsum quidem, quod Sancti DEI homines, Spiritu Sancto inspirante, nihil dixerint, nihilque scripserint. Ad quid etiam Moyses, CHRISTUS, & Apostoli dogmata sua, ut dicebamus, ex Scripturis confirmarunt, aut ad has legendas nos ablegarunt, si his neglectis quisque suos potius internos Spiritus instinctus attendere debeat?

XI. Non juvat Schvvenckeldianos & Libertinos D. Paulus Apostolus 2. ad Corinth. 3. v. 6. scribens: *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat*; non enim per litteram intelligit Scripturam: per Spiritum verò internum instinctum; Sic enim idem Apostolus frustra tot litteras scripsisset, & monuisset 1. Tim. 4. v. 13. discipulum, ut lectioni intenderet. Sensus igitur adductorum verborum est: Littera seu lex sola, si gratiae praesidio destituatur, (uti in veteri testamento) nocet potius, quam profit; etenim occidit animam (licet solùm occasionaliter) dum multitudine & difficultate praecceptorum urget ac premit, nec tamen vires subministrat ad ea omnia complenda, ut oportet: Spiritus autem solus, id est, gratia spiritualis vivificat animam, vitam ei spiritualem afferendo, quā potens redditur ad opera aeternae salutis parandae necessaria. Huic sensui concordant verba immediatè antecedentia: *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti*; hoc est, ad praedicandum Evangelium, Ecclesias fundandas, Sacramenta administranda idoneos nos Ministros fecit, non litterā solā vobis communicando, sed & spiritu impertiendo; q. d. non eo modo Ministri sumus, quo in Lege Moyses, ut scilicet nudam litteram vobis proponamus, sed insuper etiam Spiritum, id est, Dei gratiam asseramus; quia Deus ad verba nostra immittit vobis copiosam gratiam, sanctasque inspirationes & impulsus. Ita D. Augustin. de Spiritu & littera c. 1. & seqq. & de Nat. & Grat. c. 57. Chrysof. Ambros. alij Patres.

XII. *Error secundus est*, Scripturas Sacras & Canonicas non discerni à non-Sacris libris, & non-Canonicis scripturis solā Romano-Catholicae Ecclesiae autoritate. Ita Lutherani apud Joan. Gerhardum Lib. 2. Part. 1. fol. 205. & seqq. Calvinistae apud Guiliel. Amesium Tom. 1. à fol. 6. Coccejus apud DD. à Walenburg Tom. 1. à pag. 835. & alij Sectarij communiter. Probant 1. Scriptura est prior, quàm Ecclesia, utpote ipsius semen & fundamentum, Matth. 13. Ephes. 2. v. 20. *superedificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, id est, supra scripta illorum. Ergo Ecclesia non tribuit Scripturae Autoritatem, sed supponit. 2. Si Ecclesia autoritatem Scripturae tribuit, tunc est supra Scripturam. Hoc est absurdum. 3. Si Ecclesiae testimonio discimus, quodnam sit Verbum Dei, tunc Ecclesia prius id scire debuit; sed unde? non ex Scriptura, sed ex alijs

medijs. Ergo ex iisdem alijs scire idem possunt absque Ecclesiae autoritate. 4. In discursu Catholicorum committitur viriosus circulus, dum divina Scriptura creditur ob infallibilem autoritatem Ecclesiae: & rursus ista propter illam. 5. Augustinus ajens: non crederem Evangelio, nisi me commoveret Ecclesiae autoritas, respexit ad Ecclesiam Primam, non ad modernam Romanam. Ita Jacobus Hailbrunner in Papatu Aatholico fol. 553. & plures Sectarij.

XIII. *Errorrem istum praeter omnes Catholicos, ut supra diximus, rejiciunt etiam reipsa Aatholici.* Nam mox post initium Ecclesiae Libris Canonicis fuerunt alijs Apocryphi permixti, v. g. Evangelia Petri, Thomae, Bartholomaei tanquam ab illis scripta: item Epistola ad Laodicenses sub nomine Pauli, qui libri, alijsque adhuc extant; & tamen nec à Catholicis, nec à Sectarijs tanquam Canonici recipiuntur. Ergo penes Ecclesiam est determinare, quinam libri sint Canonici & Sacrae Scripturae. Quod clarè agnoscens Petrus Martyr Calvinista in locis comm. loco 6. sic scribit: *Ecclesia functionem esse agnoscimus, ut, cum sit praedita Spiritu divino, sinceris & germanos libros divinarum litterarum ab adulterinis & apocryphis discernat.* Idem agnoscunt nonnulli Lutherani, ut infra patebit. D. Gregorius Magnus Lib. 1. c. 2. quatuor Concilij Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi tanquam quatuor Evangelij honorem haberi voluit, eaque velut legitima recipiunt Sectarij; Et unde norunt illa fuisse à Spiritu Sancto directà, nisi ex autoritate Ecclesiae? Si autem haec sufficit pro declarandis Concilij legitimis, cur non pro libris canonicis? Praclare Hieronymus contra Luciferianos dixit: *Si non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot erunt Schismata, quot Sacerdotes*; quod uti de alijs rebus multis, id de libris Canonicis est intelligendum. Probationes Adversariorum debiles sunt.

XIV. Respond. ad 1. probationem, negando Antecedens. Nam Ecclesia totaliter sumpta fuit prior Scripturā; cum ab initio mundi ceperit ab Adamo usque ad Moysen, qui primus Verbum Dei scripto annotavit. Si verò speciatim de Christiana Ecclesia loquamur, ejus semen est Verbum Dei seu scriptum, seu non scriptum: Fundamentum etiam sunt Apostoli non qua scribentes, sed qua primi credentes & praedicatores, cum plerique Apostoli nihil scripserint. Et si nullus quidquam scripsisset, cur Ecclesia Christiana non aequè perstare absque Scriptura potuisset, ac perstitit Ecclesia ab Adamo usque ad Moysen? certè Irenaeus, qui circa annum Christi 180. floruit, in hunc finem testatur Lib. 3. c. 4. *adhuc suo tempore multas barbaras Gentes absque ulla Scriptura Fidem Catholicam ore & corde professas solis Apostolicis adhaesisse traditionibus.*

XV. Ad 2. Ecclesiam non dare, sed notam facere autoritatem Scripturae, quam ex DEO habet, cujus est Verbum; perinde ac si ego alicui extero Papam antea ignotum ostenderem, non facerem illum Papam, sed hujus notitiam alteri communicarem, ut debitam illi reverentiam exhibere possit. Item sicuti Stephanus Papa & Concilium Nicenum I. non formarunt novum articulum Fidei de nonrebaptizandis haereticis, sed Fidei veritatem in Ecclesia usurpatam quidem, sed à nonnullis salvā pace disputatam determinaverunt

verunt & declaraverunt, ita Ecclesia Catholica non format novos libros Canonicos, autoritate Sacrae Scripturae, quam prius non habebant, ipsis tribuendo, sed illos, qui ab initio Ecclesiae usurpati sunt, & de quibus dissensiones erant, determinavit, declaravit, & publicavit.

XVI. Ad 3. quam speciatim urget Gerhardus lib. 1. fol. 52. Ecclesiam Recentiore[m] accepisse notitiam Scripturae ex Traditione Antiqua: istam verò à Prophetis: hos denique immediate à Deo. Nos autem talibus medijs uti non possumus, quia non habemus praesentes Apostolos aut Prophetas, nec vidimus veterem Ecclesiam. Ergo Traditioni per Ecclesiam praesentem proposita credere debemus; non per aliam Traditionem, ut objicit Gerhardus, sed per illam ipsam; quia universim Mysteriorum Fidei assentimus tanquam rei credendae per revelationem sive scriptam sive traditam: revelationi verò per se ipsam, uti communiter docent Theologi.

Instat Gerhardus loc. cit. sic ipsam Scripturam Sacram per se ipsam credi posse. Sed instantia haec egregie prodit hominis infirmitatem. Nam licet Sacrae Scripturae sint revelationes divinae, quia tamen in proposito sunt ignotae & res credendae, ut objectum Quod; non possunt per se ipsas, sed debent necessariò per aliud, Traditionem scilicet innoscere & credi, ut cum S. Thom. 22. q. 1. art. 1. docent ceteri Theologi.

Urget lib. 2. Part. 1. fol. 218. Testimonium illud Ecclesiae esse historicum, & non nisi humanam parere fidem. Resp. Negando: Nam hos libros esse Canonicos, credimus propter Revelationem divinam immediate à Deo factam Prophetis & Apostolis, quam isti non scriptò, sed ore tenus tradiderunt Ecclesiae primitivae, quae ad nostra usque tempora illam continuò secum servans surgentia dubia ex eadem decidit, affirmando, hos libros esse sacros, non illos. Unde aliud est propositio, & testificatio Ecclesiae: aliud revelatio non scripta seu Traditio; per illam tanquam humanum testimonium & motivum credibilitatis inducimur ad credendum; propter hanc veluti attestationem & loquelam DEI Fidei divinam credimus, hos libros esse Canonicos, ut optimè & pluribus contra Coccejum & alios declarant DD. à Wallenburch. Tom. 1. à pag. 841.

XVII. Ad 4. non apparere hic periculum circuli apud Catholicos, qui utrumque scriptum & non scriptum DEI Verbum admittunt inducti ad hoc & illud credendum per motiva credibilitatis. Sicut ergo per Scriptum DEI Verbum Matth. 1. v. 16. credimus, Christum esse natum ex MARIA, ita credimus per traditionem seu non scriptum DEI Verbum, Evangelium hoc Matthaei esse Matthaei Apostoli: atque ad utrumque horum credendum communibus credibilitatis motivis inducimur. Ubi hic vitiosus circulus? Sed plura de hoc infra, ubi de Infallibilitate Ecclesiae agemus, ubi etiam ostendemus, quam aperte hoc vitium incurrant Sectarii.

XVIII. Ad 5. probationem & Autoritatem S. Augustini. Demus, Augustinum ad primam Ecclesiam, non ad modernam Romanam respectisse; Si absque primae Ecclesiae testimonio credi certò non possit, quinam libri sint Canonici, sequuntur duo manifestè contra Adversarios. Primum est, internis criticis absque Ecclesiae autoritate fidere securè neminem posse. Al-

terum, Traditiones omnino admittendas esse; Siquidem absque Traditione Ecclesiae primae discerni inter libros sacros & prophanos non possit. Sed falsum omnino est, S. Augustinum loc. cit. respexisse ad Ecclesiam primam. Nam Lib. 28. contra Faustum c. 2. scribit, credere se, *Matthaei fuisse historiam de Nativitate Christi; quia tota Ecclesia ab Apostolis non interrupta serie temporum, & legitima successione Episcoporum ita affirmat.* Quomodo etiam hodie in vestigijs S. Augustini, & asserimus; quia Ecclesia Sacra Scripturas ab Apostolis accepit, & non interrupta serie temporum ac successione Episcoporum ad nos detulit, ideo oportet, illas esse veras & infallibiles Scripturas.

XIX. Error Tertius est, Scripturas Sacras à non sacris discerni posse varijs modis extrinsecis. Ita Haeretici passim, ne Ecclesiae auctoritatem agnoscere, & huius iudicio subijcere se cogantur. Proponam modos illos ordine, & refellam breviter. Primus est Calvinus Lib. 1. Instit. cap. 7. §. 2. ubi censet, *tam facile esse, Sacram Scripturam à non sacra distinguere, quam lucem à tenebris, album à nigro, suave ab amaro.* Sed contra est. Tum quia aliqui olim Patres ante stabilitum Canonem de nonnullis libris inter se dissentiebant, qui tamen utrique adeo caeci non fuerunt, ut rem per se claram & evidentem non perspicerent. Tum quia etiam hodie inter Sectarios non convenit, quinam libri universim sint Canonici; Epistolam S. Jacobi in Canonem recipiunt Calvinistae; ab eodem rejiciunt Lutherani, Calvinus, Lutherus, Erasmus Apocalypsin à Canone Sacrae Scripturae arcunt: eandem Augustinus Marcellus, Beza, Meno Hanneken atque alij moderni Calvinistae & Lutherani in Canonem admittunt &c. Tum quia hanc vel illam esse Scripturam Sacram, fide solum credimus, ut & alia Mystera supernaturalia; At verò Fides non est rerum evidentium, sed obscurarum, seu non apparentium Hebr. 11. v. 1.

XX. Secundus est Agidij Hunnij in Colloquio Ratisbon. Sess. 10. & aliorum, Scripturam Sacram à non sacra discerni posse ex ipso titulo seu inscriptione Apostolorum aut Prophetarum praeserente. Sed contra est. Tum quia tituli vel sunt partes librorum Canonicorum, vel non; si prius, ipsos ante cognosci oportet authenticos, quod sint Verbum Dei: si posterius, auctoritatem infallibilem non habent ad testificandum. Tum quia aliqui libri Sacrae Scripturae titulum non habent, v. g. Liber Genesis. Tum quia multa Scripturae Apocryphae titulos Apostolorum & Prophetarum praeserunt, ut Evangelium Andree, Thomae, Bartholomaei, Barnabae, Apocalypsis Petri, & alia hujus generis, quae recensentur à Gelasio Dist. 15. Can. Sancta Romana.

XXI. Tertius est Kemnitij in Examine Trident. P. 1. Sess. ult. discerni Sacram Scripturam ex allegationibus; dum enim unus liber citat alterum, suam huic auctoritatem tribuit. Sed contra est. Tum quia redit quaestio, unde constet, illum librum, à quo alius citatur, esse Scripturam Sacram. Tum quia non omnes Veteri Testamenti Libri allegantur in Novo, v. g. Liber Ruth, Esther &c. Tum quia nonnunquam in Scriptura citantur sententiae Gentilium, quae tamen non sunt Verbum Dei v. g. Epimenidis *Cretenses semper mendaces*, quem Paulus adducit

cap. i. epist. ad Tit. v. 12. vocans eum proprium Cretenum Prophetam. Tum quia non minus dubitari potest de partibus & capitibus singulorum librorum, quæ tamen ex Vet. Testamento non citantur in Novo. Kemnitio consentit Gerhardus Lib. 2. part. 1. fol. 5. qui tamen ibid. fol. 39. rejicit ex Daniele historiam Susannæ c. 13. Dicat ergo, cur historiam de Adultera Joan. 8. pro Canonica habeat, cum hæc etiam à nullo alio Apostolo aut Evangelista citetur, & negetur à Beza Calvinista?

XXII. Quartus modus est Davidis Parei in Disp. de authorit. Scriptur. Biblia agnosci ex mirabili harmonia & consensu omnium librorum inter se, quod humanitus fieri non potest, ut tot Scriptores ingenijs, locis, & temporibus maxime distiti adeo inter se conspirent, nisi Spiritus Sanctus direxisset, cum aliquin vix duo inter se, imò vix unus secum in eodem libro consentiat. Unde Christoph. Scheibler Lutheranus Superintendens sic argumentatur: Sacra Scriptura est Sacra Scriptura. Ergo verum est, libros istos, quos Biblia vocamus, esse Sacras Scripturas, quia propositiones illæ sunt identicæ. Sed contra est. Tum quia multa in Sac. Scriptura apparent repugnantia & difficulter inter se reconciliantur; & nisi aliunde sciremus, esse Verba Dei, existimaremus contradictoria. Tum quia potuerunt paulatim post tot secula corrigi Biblia, & in ijs discordiæ auferri. Tum quia multa profanè scripta sunt vera, & optime inter se consonantia, & tamen sacra non sunt; nisi forte nihil unquam veri scripserint Sectarij. Argumentatio Scheibleri est planè stolidà; etenim sic etiam dici posset: Sacra Scriptura est Sacra Scriptura. Ergo verum est, Alcoranicam scripturam esse sacram scripturam. Est quidem aliquid reconditæ & latentis veritatis in S. Scriptura, quod proprium est S. Scripturæ, nempe quod non solum ipsa non fallat, sed nec fallere aut errare possit. Sed hanc propriam veritatis excellentiam, cum per se occultissima sit, tum demùm in scriptura agnoscimus, cum jam aliunde scripturam sacram, ejusque Auctorem Deum cognoverimus.

XXIII. Dicunt Adversarij, non esse mirum, si sacra scriptura per seipsum probetur, cum Aristoteles doceat, *Rectum esse normam sui & obliqui*: Et ex Catholicis Alphons. de Castro lib. 7. advers. hæres. c. 2. apud Gerhardum Lib. 1. fol. 52. sic disserit: velle rationibus convincere, sacram scripturam esse veracem, tanta mihi videtur dementia, ac si vellet quis rationibus fulcire, prima alicujus scientiæ principia. Et mox: Omnes velut primum principium credere hoc tenentur. Respond. Aristotelem esse intelligendum de Recto in genere, non in individuo; etenim quando dubitatur, num aliquid rectum sit, non per seipsum, sed per aliud, quod constat, esse rectum, judicatur. Unde libenter d. derim. unum Verbum DEI confirmari per aliud, quod constat esse Verbum DEI, non autem per semetipsum, aut aliud quæ ignotum. Alphonsum à Castro in eptè adducit Gerhardus. Nam non loquitur ille de Sac. Scriptura primum cognoscenda & discernenda à non-Sacra, sed de jam cognita & recepta; posteriore modo sumpta & rite intellecta est principium, & dementia foret rationibus fulcire velle: non priore modo; hoc ipso

enim, quod nobis non constat, an sit Verbum DEI; per aliud principium innotescere nobis debet, quod principium nos dicimus, esse auctoritatem Ecclesiæ. Atque in hunc modum intelligenda sunt, quæ diximus supra part. priore Doctr. 1. §. III.

XXIV. Error Quartus est. Sacras Scripturas à non sacris discerni posse ex arcano testimonio Spiritus, & internis criticis. Ita plerique hodie Hæretici; qui nihil illis extrinsecis argumentis se efficere advertentes dicunt, iisdem opus non esse, sed Spiritum Sanctum mentes hominum interiorius ita illuminare, ut certò cognoscant, & sine ulla hæsitazione (quam ipsi græco nomine *πνευματικὴ* h. e. plenam assensionem seu certiorationem vocant) credant, hæc Biblia esse Verbum DEI. *Auctorem Scripturæ esse DEUM, discernendum* inquit Calvinus 1. Instit. c. 7. §. 4. *Ex arcano testimonio Spiritus, quod Spiritus Sanctus prout cordibus obfignet.* Et Hunnius in Colloquio Ratisbon. Sect. 1. ait: *Quod Evangelium Matthei sit Canonicum, & habeat divinam auctoritatem, id habemus non simpliciter ex auctoritate Ecclesiæ, sed internis etiam criticis.* Hunc internum Spiritus Sancti instinctum jam olim fuisse promissum, probant ex varijs Sac. Scripturæ textibus. 1. habetur Jeremiæ 31. v. 34. *Non docebit vir proximum dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscunt me à minimo eorum usque ad maximum.* 2. Ioan. Epistola 1. c. 2. v. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, sed sicuti unctio DEI docet vos de omnibus.* 3. ibid. c. 5. v. 10. *Qui credit in Filium DEI, habet testimonium DEI in se.* 4. habetur Ioan. 14. v. 26. *Spiritus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* 5. ibid. c. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 6. Roman. 8. v. 16. *Ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro.* 7. 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritus scrutatur omnia etiam profunda DEI.* 8. denique & præcipuus textus habetur Isaïæ 54. v. 13. *Ponam universos filios tuos doctos ad omnia.*

XXV. Error iste quam familiaris est Hæreticis abdita semper rerum quærentibus, ita est noxius, & vehementissimè hac in re hallucinantur Sectarij. Nam primò privatus hic instinctus non certiorat & tutam reddit conscientiam; quippe scire nequeunt, an ille sit à Spiritu Sancto, an à diabolo; cum Ioannes Epistol. 1. cap. 4. v. 1. moneat sollicitè: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate spiritus, si ex DEO sint.* Unde autem ipsi probant, quod ex DEO sint? quid si ille Spiritus suggessit, qui 3. Reg. 22. v. 22. coram DEO ait: *Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Audiant S. Augustinum super cit. Ioan. loc. ubi tam ipsum Spiritum, per quem alios probari oportet, quam Spiritus, qui probandi & rejiciendi sunt, fuse declarat. De priore inter alia sic scribit: *Ipse est Spiritus DEI, quem non possunt habere hæretici, & quicumque se ab Ecclesia præcipient. Postea adducit etiam alios Spiritus, & ait, esse hæreticorum & schismaticorum Spiritus; ita ut certa nobis regula sit, Spiritum ejus, qui per hæresin & schisma separat se ab Ecclesia Catholica, non esse ex DEO.*

XXVI. Secundo. In Ecclesia Christi debet esse auctoritas & regulæ per quam in rebus Religionis omnes Fideles securitatem obtinere possint, quodnam sit Verbum DEI, quodnam non; incredibile enim videtur, DEUM non providisse aliquod medium veræ fidei persuadendæ. Atqui hanc securitatem nemo habere potest ex criticis inter-

internis. Ergo alia regula esse & ostendi debet, quæ in re tanti momenti securos nos reddat. Majorem sic confirmo. Si non sim certus, & indubitâ fide credere possim, Evangelium Matthæi esse verum DEI Verbum, tunc nec indubitâ fide tenere possim ea, quæ in illo continentur, & sic ruit tota mea fides. Minor constat; cum enim interna critiria apud diversos homines diversa sint, nihil certi ex his statui potest; imò apud unum eundemque hominem disparia sunt, & fortè hominem in ambiguo suspensum relinquunt. Certè Lutherus in præfat. ad Apocal. S. Joannis apertè fatetur, nihil circa illam determinare se posse, num sit Verbum DEI.

XXVII. Tertio, Adversarij petunt principium. Tum quia supponunt, Scripturam esse Verbum DEI, liquidem ex sententijs Scripturæ tanquam ex divina promissione conantur probare; hunc instinctum Spiritus Sancti, cum tamen hoc ipsum controversatur, utrum illæ sententiæ sint Verbum DEI. Tum quia supponunt, se esse veros Fideles, quibus factæ sunt illæ promissiones, & consequenter hic instinctus supponit fidem; atque hinc probari non potest, quod habeant hunc instinctum. Taceo minime vero simile videri, sanctissimos Patres talem instinctum non habuisse, hoc ipso, quod receperint aliquos libros pro Verbo DEI, quos Sectarij rejiciunt: ipsum verò Lutherum, aliisque Novatores vanissimos à Spiritu Sancto illuminatos fuisse, quis hoc sibi persuadeat?

XXVIII. Loci & textus Sacræ Scripturæ supra allati non favent Adversarijs. Tum quia sic non omnia fidei dogmata continentur in S. Scriptura, & ab hac non unice dependent, ut ipsi mordicus volunt; etenim primarium fidei dogma est, Sac. Scripturam esse Verbum DEI, quod tamen ex Sac. Scriptura non probant, sed ex privato suo instinctu crepant. Tum quia promissiones illorum textuum sunt universales de omnibus articulis. Ergo Sac. Scriptura omnino non erit necessaria, pro qua isti tori stant in armis. Tum quia ritè intellecti non loquuntur de tali privato instinctu, ut ex singulorum explicacione constabit.

XXIX. Respond. igitur ad 1. ex Hieremiæ 31. hunc textum non intelligendum esse de prima fidei acquisitione, quasi absque omni externa doctrina hominibus infundenda sit (hoc enim repugnat Apostolo ad Rom. 10. v. 14. dicenti: *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante?*) sed de constantia in fide semel per externam prædicationem acceptâ, promittendo, Christianos non tam mutabiles fore; ac Judæos, qui tories à vero Deo ad idola defecerunt, ut notitia DEI perpetuò illis inculcanda fuerit, sed stabiliter in DEI notitia perseveraturos. Quod si intelligatur etiam locus iste Hieremiæ de prima fidei acquisitione cum S. Augustino, Chrysostomo, Theophylacto & alijs apud Cornelium à Lapide, nequaquam infertur inde, externam prædicationem non requiri; cur enim alioqui DEUS in Ecclesia sua posuisset Pastores & Doctores Ephes. 4. v. 11. sed illam respectu internæ Spiritus Sancti vocis, quasi nihil esse, & hanc quasi nullo labore consequi optatum fructum, secus quam fiebat in veteri lege, ubi circumibant mare & aridam, ut facerent unum profelytum; At in nova lege integræ rationes Gentilium, ac

præ omnibus Samaritani cognoscent DEUM; Actor. 8. adeo copioso lumine gratiæ illuminabit corda illorum DEUS.

XXX. Ad 2. ex epist. 1. Ioan. c. 2. hunc etiam textum non agere de initio fidei, quam non ab unctiõne interna, sed ab Apostolis didicerunt primi Fideles; quippe loquitur Ioannes scientibus, ut ipse ait. v. 21. Itaque in prædicto textu sermo solum est de certis articulis & Mysterijs Fidei, quæ scire quilibet Fidelis debet: item de quibusdam corollarijs inde deducendis; neque excluditur instructio Doctorum & Pastorum Ecclesiæ, ut fatetur hic etiam Beza, sed solum Pseudo-doctorum.

XXXI. Ad 3. ibid. ex cap. 5. hunc textum non esse ad rem; quia hoc testimonium DEI non fuit instinctus merè internus, sed externa vox DEI in baptismo Ioannis cælestis emissâ Matth. 3. v. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sensus igitur est: Qui credit in Filium DEI seu in JESUM, habet testimonium illud DEI in se pro vero, liquido, & certò: qui non credit Filio tanquam Messiæ & Filio DEI, is mendacem facit eum, nempe tam Filium quam Patrem & Spiritum Sanctum; quia testimonium, quo testantur, JESUM esse Filium DEI & Messiam, non credit, quia non habet illud pro certo, liquido, & vero, sed pro incerto, dubio, & fallaci, quod est extreme blasphemum & injurium divinæ Majestati & infallibili Veritati.

XXXII. Ad 4. ex Ioan. 14. Item ad 5. ibid. ex cap. 16. hos textus Imprimis tantum pertinere ad Apostolos, tanquam primos & universales totius mundi Doctores; quibus Christus specialem Spiritus Sancti assistentiam pollicitus est, non cuivis homini. Deinde non in solo articulo dignoscendi Scripturam, sed in omnibus rebus Spiritum Sanctum adfuturum dixit. Demum non dixit Christus, Spiritum Sanctum solâ internâ inspiratione eos docturum? saepe enim homine pro instrumento ad alios homines docendos utitur.

XXXIII. Ad 6. ex Apost. ad Rom. 8. hunc textum non loqui de vera Scriptura, sed de testimonio Spiritus Sancti, quoniam sit Filius DEI, scil. per filiale affectum & fiduciam erga DEUM. Et licet testimonium hoc in se, & quatenus à Spiritu Sancto procedit, sit certissimum, & infallibile: quatenus tamen nobis exhibetur, non est certum nisi ceritudine conjecturali, & ut summum morali; unde enim novimus, illud à Spiritu bono, & non à maligno proficisci?

XXXIV. Ad 7. ex 1. ad Cor. 2. hunc etiam textum non facere ad rem. Nam per Spiritum Sanctum omnia scrutantem intelligitur ipsemet Spiritus Sanctus, ut interpretantur Ambros. Theodoretus, & alij communiter, qui non omnia sua secreta omnibus communicat. Spirituales autem homo ibidem v. 15. dicitur omnia judicare per internum lumen à Spiritu Sancto infusum, sed non per solum istud. Sensus igitur est: Spirituales homo expendit & ponderat omnia non minus rationes spirituales & divinas, quam humanas, ut de mysterio aliquo sibi proposito solidè judicet, & ita ut: & sic ipse à nemine judicatur, hoc est, argui & condemnari potest.

XXXV. Ad 8. denique & præcipuum textum ex Isaiæ 54. hunc duntaxat offendere necessitatem internæ illuminationis, & liberalem ejus-

eiusdem communicationem tempore legis Evangelicæ, non verò illam solum sufficere. Sensus itaque est, mysteria fidei, quæ Evangelicæ Præcones discipulis suis exterius proponunt, ego interius illuminado supernaturali lumine intellectus illorum, & impulsu pio excitando movendoque voluntates inculcabo suaviter & persuadabo. Abſque hac interna illuminatione & excitatione interna frustra est omnis doctrina externa &c. Videri potest P. Corneli à Lapide in cit. Iſtae locum.

XXXVI. Haſtenus de criteriis internis in genere. Porro videndum in specie, quæ & quot Adverſarij assignent criteriia seu notas ac indicia, ex quibus certè cognoscatur Verbum DEI. Ioan. Gerhardus lib. 1. fol. 53. affert quinque. Hunnius in Colloq. Ratisbon. Sefs. 16. cit. duo his superaddit. Primum est *Antiquitas Bibliorum per tot. sæcula conservatorum*; quod enim hi libri inter tam varios casus & tot Tyrannos eos delere cupientes nihilominus ad manus nostras devenerint, profectò non absque singulari DEI providentia Verbi sui tutrice fuit factum. Sed contra est. Tum quia Adverſarij sic incidunt in traditionem, quam effugere volunt; unde enim norunt, hæc ipsa Biblia, quibus hodie urimur, tot sæculis durasse, & Tyrannos comburere ea voluisse, sed divinâ protectione fuisse impeditos, nisi per majorum traditionem? Tum quia sic quoque argumentari debent; Papatum Romanum à DEO esse fundatum; cum tot sæculis inter tot persecutiones singulari DEI Providentiâ conservatus fuerit. Tum quia non omnes libri Sacræ Scripturæ ita fuerunt conservati, sed multi perierunt, quorum tamen mentio fit in extantibus libris, id quod aliqui paulò supra allati atque ipsemet Gerhardus voluerunt, esse certum indicium Verbi DEI.

XXXVII. Multi etiam Patres arbitrantur, totum vetus Testamentum in Captivitate Babylonica intercidisse, & memoriter ab Esdra restauratum fuisse, ut refert Nicolaus Serrarius in Proleg. cap. 12. q. 1. postquam cap. 8. quaest. 14. enumeravit 20. libros, qui perierunt. I. Fuit liber bellorum DEI. Num. 21. II. Liber iustorum seu liber Recti. Josue 12. & 2. Reg. 1. III. Liber verborum seu rerum gestarum Salomonis 3. Reg. 11. IV. Liber verborum Regum Israel 3. Reg. 14. V. Liber verborum Regum Juda ibid. VI. Samuelis libri 1. Paralip. ult. VII. Alius quidem eiusdem Samuelis lib. 1. Reg. 12. VIII. Nachanis. 1. Paralip. 29. & 2. Paralip. 9. IX. Gad Prophetæ ibid. X. Achizæ Proph. 3. Reg. 14. & apertius 2. Paralip. 9. ut in libris Abia Prophetæ. XI. Addo Prophetæ 2. Paralip. 9. XII. Jehu Prophetæ 2. Paralip. 20. XIII. Chozai Prophetæ 2. Paralip. 33. XIV. Salomonis 3000. parabolarum 3. Reg. 4. XV. Eiusdem Carmina quinque & mille 3. Reg. 4. XVI. Eiusdem physica de plantis, jumentis & volueribus. XVII. Liber Enoch, ut ex Judæ Apostoli epistola S. Augustinus lib. 18. de Civitate c. 18. colligit. XVIII. Epistola Eliæ Prophetæ, quam ad Regem Israel misit 2. Paralip. 21. XXI. Iremiæ descriptiones 2. Machab. 2. XX. Ioannis Hircani liber dierum 1. Machab. ult. Ex his libris viginti probabiliter dici potest, si non omnes, certò nonnullos fuisse canonicos & autoritatis divinæ, ac eos præsertim, qui non simpliciter citantur, sed cum elogio & titulo Prophetæ. Ergo non est proprium Sac. Scripturæ durare, & a boleri non posse.

XXXVIII. Secundum. *Miracula in confirmationem Bibliorum facta*. Nam scribit Victor Uticensis lib. 3. de persecut. Wandal. cum Dioclerianus Imperator Biblia Christianorum exuri iussisset, imbre cœlitus delapso ignem extinctum fuisse. Zonaras quoque 3. Annal. testatur, Biblia in ignem coniecta non aruisse. Huiusmodi miracula plura contigisse, & magnam Sac. Scripturæ autoritatem conciliasse minime negamus, sed ea Hæreticis non patrocinantur. Tum quia horum miraculorum veritas non constat nisi ex Traditione, quam ipsi spernunt. Tum quia non possunt probare, hodierna Biblia esse eadem cum illis, quibus cum talia miracula acciderunt. Tum quia alia nostræ fidei dogmata multò pluribus miraculis comprobata non volunt agnoscere, v. g. Missam, & Invocationem Sanctorum, occinentes, miraculis non fidendum eò, quod similia demonis auxilio ab Ethnicis olim facta fuerint, & Antichristus multò majora patraturus sit; quæ certè contra ista miracula pro Biblijs facta æquè obijci possunt. Tum quia similia miracula leguntur facta cum scriptis quorundam Sanctorum, quæ tamen non fuerunt Verbum DEI.

XXXIX. Tertium est. *Energia Bibliorum ad permovendos hominum animos*, qualis in humanis scriptis non reperitur. Verum hinc non satis probatur intentum. Tum quia isti motus animorum supponunt jam notam Bibliorum autoritatem; siquidem nescius aut incredulus esse Verbum DEI, eorum lectione vel auditione non moveretur. Tum quia similes quidam motus etiam ex alijs libris Scriptorum Christianorum, imò Ethnorum quoque exorti sunt, sicuti non pauci lecto Platonis libro de immortalitate animæ ita commoti sunt, ut sibimet necem consciscerent, an ideo fuit Verbum DEI?

XI. Quartum est. *Sanctitas & Majestas rerum, quæ in Sac. Scriptura tractantur*. Sed contra hoc criterium est. Tum quia non convenit toti Scripturæ; sæpius enim valde viles & in speciem absurdæ res in ea tractantur; unde Augustinus adhuc Catechumenus lectione libri Genesis scandalizatus fuit, quod tam vilia & abjecta proponeret, ut D. Ambrosius coactus fuerit ad mysticum sensum elevare. Tum quia etiam sublimia mysteria Scripturæ apud Sanctos Patres, D. Thomam Aquinatem, & cæteros Theologos reperiuntur, non ideo eorum Scripta sunt Verbum DEI.

XLI. Quintum est *eventus prædictionum in Scriptura contentarum*. Sed hinc nihil probatur. Tum quia hoc non convenit omnibus libris Scripturæ, siquidem non omnes sunt Prophetici, sed multi historici præterita referentes. Tum quia etiam in vitis Sanctorum multa vaticinia eventu comprobata recensentur, non ideo sunt partes Scripturæ. Tum quia in libris Sibyllinis etiam de Christo multæ prædictiones fuerunt, quas rerum eventus comprobavit, non ideo habiti sunt Verbum Dei.

XLII. Sextum est *Sanctitas Scriptorum*. Sed contra est. Tum quia hoc criterium, si aliquid valeat, supponit Traditionem; unde enim noverunt Adverſarij, vel hos libros ab eis conscriptos fuisse, vel illos Scriptores tam sanctam vitam duxisse, nisi ex traditione? Tum quia aliquorum librorum incertus est Author, ut libri Job,

Judicium, Paralipomenon. Tum quia quorundam Authorum sanctitas est valde incerta, ut Salomonis, nihilominus ejus scripta sunt oracula.

XLIV. Septimum denique criterium est *Tortura Martyrum*, qui maluerunt vitam perdere, quam Biblia Ethnicis comburenda tradere, ut testatur Martyrologium Romanum 2. Januarij allegans S. Augustinum, & alios. Sed hinc etiam Adversarij nihil evincunt. Tum quia supponunt, talia à Martyribus gesta fuisse: item eadem nunc Biblia extare, pro quibus illi occubuerunt, quorum tamen utrumque non nisi ex traditione haberi potest. Tum quia nonnulli etiam hæretici pro suis erroribus mortui sunt præsertim Anabaptistæ. Et Infideles aliqui ad nutum sui Imperatoris aut ventrem fecant, aut ex alto se præcipitant; quomodo horum pertinacia à Martyrum constantia internoscitur, nisi aliunde constet æquitas causæ pro qua moriuntur. Videantur DD. à Walenburg Tom. I. Append. 2. c. 4. ubi fusè ostendunt, Protestantes solidè determinare non posse, quinam libri sint Canonici.

XLV. Joannes Gerhardus loc. cit. allata critiria tueri nititur autoritate tum aliorum Catholicorum Scriptorum tum maxime Cardin. Bellarmini Lib. I. de Verbo Dei c. 2. Sed sicuti in alijs ita etiam in hoc graviter hallucinatur. Nam etsi verissimum sit, ea, quæ allata sunt Scripturæ critiria, valere ad confirmandam fidem illorum, qui jam credunt, librum esse Canonicum; in quem sensum disierit & intelligi debet Cardinalis Bellarminus loc. cit. attamen vanissimum est dicere, ex ijs solis, seclusâ omni Ecclesiæ Autoritate Scripturam Sacram à non-sacra discerni, præsertim quando ipsimet illi, qui hæc critiria assignant, in Canone concinnando non planè consentiunt, sive Lutheranos cum Calvinistis sive ipsos inter se Lutheranos conferamus.

XLVI. Adhæc fatentur quidem Serrarius in Prolog. Biblic. c. 4. q. 2. ac 7. & Domin. Lopez in Tract. de Script. Authorit. nonnulla ex prædictis critirijs v. g. miracula, & Martyrum constantiam, si cum debitis circumstantijs temporis & Personarum accipiantur, non malè assumi ad probandam Bibliorum autoritatem: at verò respectu hujus temporis, & Personarum sine Traditione Ecclesiæ non sufficere. Nam quoad tempus; si miracula in testimonium Bibliorum patrata oculis nostris vidissemus, & Scriptorum sanctitatem Martyrumque constantiam coram intuitu fuisset, non foret necessarium Ecclesiæ testimonium; nunc autem, quia hæc solum referuntur, ut olim facta, sine traditione constare non possunt. Quantùm verò ad Personas attinet, quamvis nos rectè utamur hujusmodi argumentis ad probandam Scripturæ divinitatem, ipsi tamen Hæretici prudenter uti illis non possunt; etenim quia eadem argumenta seu critiria æquè probant alios Fidei nostræ articulos, vel omnes debent admittere, vel illis argumentis fidem abrogare; stultum quippe est, quando unum argumentum duo æqualiter probat, unum propter illud credere, & alterum repudiare.

XLVII. Hinc apparet, argumenta ista Sacræ Scripturæ intrinseca rectè laudari tanquam ad probationem facientia: attamen non sola judicari sufficientia ad probationem. Putat quidem Coccejus apud DD. à Walen-

burch Tomo I. pag. 840. apertam in his involvi contradictionem. Sed nescit Logicam, suamque prodit incertiam. Ex propositionibus contradictorijs debet negare una, quod altera affirmat. Prior ex dictis propositio affirmat, illa argumenta esse laudabilia & facere ad probationem: Posterior negat, eadem sola sufficere ad probandam Scripturarum divinitatem. An nonne duæ istæ propositiones circa diversa objecta versantur? Ubi ergo contradictio?

XLVIII. *Error Quintus est*, Sacram Scripturam fecerni quidem à non sacra per Ecclesiam Romanam, non tamen ob præsentis Papiæ autoritatem, sed ob antiquæ Apostolicæ Ecclesiæ traditionem. Ita Kemnitius in examine Tridentini Concilij P. I. Sess. 4. ubi ait: *Pendet tota hæc disputatio, à certis, firmis, & consentientibus primæ & veteris Ecclesiæ testificationibus, quæ ubi desunt, sequens Ecclesiæ, sicuti non potest ex falsis facere vera, ita nec ex dubijs potest certa facere sine manifestis & firmis documentis.* Consentiant non pauci alij hæretici, & nominatim Gerhardus Lib. 2. Part. I. fol. 218. ubi in hunc sensum intelligenda putat verba S. Augustini sup. allata: *Non crederem Evangelio &c.* Fundamentum illorum est, ut apparet ex verbis Kemnitij, quod fieri non posse arbitrentur, ut progrediente tempore libri quidam, de quibus olim fuit dubitatum, pro Canonicis unquam Ecclesiæ Autoritate legitime proponantur.

XLIX. Errorem istum jam supra in fine §. XVIII. perstrinximus, nunc non difficulter eum ulterius rejicimus. Tum quia licet remotè à Primitiva Ecclesiæ, tamen proximè à Moderna Ecclesiæ habentur sacra Biblia; nec aliunde sciri potest, eadem Biblia nunc extare, quæ temporibus Primitivæ Ecclesiæ extiterint. Tum quia non est minus infallibilis præsentis Ecclesiæ autoritas, quam veteris Ecclesiæ, utraque enim est *columna & firmamentum veritatis* I. ad Timoth. 3. v. 15. Si ergo veteris Ecclesiæ traditio & testificatio de libris sacris habetur infallibilis, cur non & Ecclesiæ præsentis? Tum quia falsum & absurdum est, in rebus ad fidem pertinentibus nihil posse certi statui, ubi constat, fuisse olim dubitatum. Ut plurima alia taceam, an non D. Cyprianus cum multis Africanis Episcopis, cum conferret baptizatos ab hæreticis rebaptizandos, non solum in re gravissima dubitavit, sed & erravit. Et num ideo de ista re incerta semper erit Ecclesiæ? Atque ex his patet etiam ad fundamentum Adversariorum.

L. *Error demum Sextus est*, Biblia sacra fecerni, & haberi unicè à Romana Ecclesiæ, & quidem à Moderna, atque huic in acceptis referri debere, quæ, licet in alijs multis articulis erraverit, tamen in hoc puncto Scripturæ Sacræ non erravit, idque per singularem Dei providentiam, qui hoc fundamentum fidei non passus est interire. Ita Brentius in Prolog. Witthackerus q. 3. de Scriptura cap. 6. Et teste Tannero Tom. 3. f. 232. ad Ecclesiæ Catholicæ traditionem confugere coacti fuerunt Lutherani in Colloq. Ratisbon. 1601.

LI. Error iste non minùs facilè, quam alij priores rejicitur. Tum quia Adversarij sibimet contradicunt, dum ex una parte affirmant, Ecclesiam præsentem Romanam in judicio Scripturæ errare non potuisse: ex altera verò de eadem asseve-

asseverant, illam de facto erravisse, aliquos libros pro verbo Dei acceptando, qui non sint, ut mox constabit. Tum quia si Romana & Papalis Ecclesia habet omne Christianum Bonum, tunc non habet errores, propter quos merito deseratur & traducatur. Sed Ecclesia Romana & Papalis etiam nunc & tempore existentium hæresum habet omne Christianum Bonum. Ergo non habet errores; propter quos merito deseratur & traducatur. Major est ira evidens, ut a nemine negari possit, nisi qui Bonum Malum, Verum Fallum, pium impium dixerit, & mentiri juraverit. Minor est Lutheri *avris ipa* Tom. 1. Jenens. pag. 326. & Tom. 6. Jenens. pag. 92. Nos fatemur, quod sub Papatu multum boni Christiani, imò omne bonum Christianum sit; & inde pervenerit ad Nos. Nimirum fatemur, esse in Papatu veram Sac. Scripturam; verum Baptismum; verum Sacramentum; Altaris, veras Claves ad remissionem peccatorum; verum Predicationis Ministerium; verum Catechismum &c. Quomodo cum hoc luculento testimonio ipsius Lutheri consistere potest apertum mendacium Sectariorum; quod in Papatu sint errores circa multos articulos? Certè unicuique hic Syllogismus non tantum in præsentia controversia rem omnem planè conficit, sed etiam omnes Lutheranos & Lutheri adhærentes obruncat, reddiditque profusus inexcusabiles in severissimo Dei tribunali, quod cum in Papatu sit omne Christianum Bonum; ipsi tamen inde se abstraxerint.

LII. Nec evadent, si ex eodem Luthero dixerint, se propter additamenta diabolica recessisse. Nam Ecclesia Catholica nullo legitimo iudicio hujus diabolici additamenti convicta fuit, ut ex toto hoc opere patebit, & ostendunt DD. à Walenburg, Tom. 1. à fol. 120. Quibus enim iudicibus istud additamentum fecit, nisi accusatoribus ejus? coram quo tribunali damnata fuit, nisi illo, quod cum divisione cepit, & in divisione etiamnum persistit? Si hoc tribunal, si hi iudices sequendi sunt; absoluti erunt omnes hæretici, omnes schismatici, quorum nullus unquam ebullijt, qui pro defensione criminum non eâ temeritate condemnat Ecclesiam, quâ eandem accusabat. Adhæc, vel illa additamenta pertinent ad Fidem, & sic falsum est; quod dixerat, sub Papatu esse bonum Christianum; etenim *modicum fermentum totam massam corrumpit*, ut ex Apostolo ad Galat. 5. v. 9. ipsemet Lutherus in Comment. ad Galat. fusè declarat. Si autem ad Fidem non pertineant, Sectarij Apostasiam suam quomodo excusabunt? Sed solenne est Luthero tam sibi ipsi, quàm Veritati contradicere; & cum veritatem loquitur, ex proprijs non loquitur, sicut & Pater ejus diabolus.

LIII. Manet igitur firmissima Doctrina nostra, Sacram Scripturam solâ Romanæ Ecclesiæ autoritate dignosci à non-sacra. Et calumnia est hæreticorum, eandem Ecclesiam Papalem, licet in puncto Scripturæ ex singulari Dei providentia errare non potuerit, in alijs tamen multis articulis errasse, quàm calumniam suo loco pluribus refutabimus. Nec satis etiam congruè Sectarij juxta sua principia Sac. Scripturam vocant fundamentum fidei, cum Paulus 1. Cor. 3. v. 10. dicat, *Christum esse fundamentum*; præter quod aliud nemo potest ponere. Nam quia idem Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 5. ait: *Unus Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus*, nolunt hæretici ad-

mittere, aut dicere alium Mediatorem, ideoque negant Sanctos velut Mediatore nostros ad Deum esse invocandos; eorumque intercessionem, & preces flagitandas. Cum ergo Christus sit fundamentum; præter quod nemo aliud potest ponere; cur huic addunt Scripturam? Deinde quomodo Novatores Scripturam dicere possunt fundamentum; quam tandem coacti fatentur niti ceu fundamento auctoritate Sacræ Ecclesiæ: & ex qua non possunt omnia sua dogmata erudere, ac probare. Tenent fide nobiscum, hæreticos non esse rebaptizandos, ex quo fundamento Scripturæ? Audiant, quæso clarissima verba D. Augustini Lib. 5. de Baptism. contra Donatist. c. 23. *Apostoli quidem mihi ex inde (de hæreticis non rebaptizandis) præceperunt. sed consuetudo illa, quæ opponatur Cypriano; ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est. Sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia; & ab hac ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Demum quid majus dici potest de Ecclesia supra id D. Pauli 1. ad Timoth. 3. v. 15. quod sit *columna & firmamentum Veritatis*? quomodo non etiam est fundamentum? quomodo non solide cum illa stabimus? quomodo non securè eidem innitemur tam in libris Canonicis recipiendis, quàm in rebus alijs, quas ipsa proponit, credendis?




CONTROVERSIA III.

QUANTA SIT AUTHORITY
SAC. SCRIPTURÆ; AN SCILICET HUIC AQUIVALEAT
TRADITIO, SEU VERBUM DEI
NON-SCRIPTUM?



Elebris est hæc quæstio, cujus sensus est; An Sacra Scriptura tantæ sit autoritatis & perfectionis, ut nihil ipsi æquivaleat, & ad paræm ei dignitatem ascendat; An verò aliud etiam sit Verbum non-scriptum haud minoris illâ æstimationis? unde aliqui Doctores Catholici sic titulum ponunt: An præter Verbum Dei scriptum sit aliquod Verbum Dei non scriptum, sed traditum? Acatholici verò sic eundem formant: An Sacra Scriptura sit perfecta, ita scilicet ut omnia ad fidem & mores necessaria complectatur, adeoque frustra ponantur Traditiones?



PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. Traditio latissimè sumitur pro omnibus, quæ Deus revelavit in Ecclesiæ bonum & salutem, & sic comprehendit omne Dei Verbum tam in Sacra Scriptura expressum, quàm ore tenus solùm à Christo & ab Apostolis prædicatum; in quo sensu loquitur Apostolus 2. Thess. 2. v. 14. *ajens: Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Strictè & propriè sumitur nomen Traditionis pro doctrina aliqua

ugh a
er
ologia
emica
XI
9

aliqua ad Religionem pertinente, quæ nec in Sacra Scriptura aperte traditur, nec ex sola scriptura per se infallibiliter seu evidenter colligitur; quæ etiam vocatur Verbum Dei non scriptum, maxime siquæ traditio ab ipso Christo profecta sit; quia utique Verbum Dei est, quidquid Christus docuit, sive postea Evangelistæ & Apostoli scripto id comprehenderint, sive voce solum tradiderint. Sed & Traditiones Apostolorum ac Ecclesiæ in materia Religionis Verbum Dei non scriptum recte dicuntur hoc ipso, quod divino Spiritu ac nunc traditæ sint juxta illud Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris, qui loquitur in vobis.*

II. Hinc tria Traditionum genera distingui possunt. 1. Divinarum, quæ ab ipso Christo Deo & Homine traditæ sunt. 2. Apostolicarum, quæ ab Apostolis traditæ. 3. Ecclesiasticarum, quæ post Apostolos ab Ecclesia, hoc est, Petri & Apostolorum Successoribus traditæ fuerunt; et si non raro Ecclesiasticæ Traditionis nomen generatim omne genus Traditionis in Ecclesia conservari solitæ complectatur. Ex his diversis Traditionibus aliqua ad fidem pertinent, quia tantum fide sunt credendæ, ut Verbum esse incarnatum: aliæ verò ad exercitium spectant, quales sunt omnes illæ, quæ Sacramentorum ministerium concernunt; & rursus aliqua ex istis sunt sub præcepto, aliæ solum sub consilio. Videantur DD. à Walenburgh. Tom. 1. à pag. 779. His positis.

III. Doctrina Prima. Quamvis omnia, quæ in Biblijs continentur, infallibili fide credenda sunt, non tamen omnia credenda continentur in Biblijs, sed alia multa per antiquas Traditiones cognita credita & observata credi & observari debent. Ita omnes Catholici, & aperte definit Concilium Tridentinum Sess. 4. in decreto de Canonic. Scriptur. ubi dicitur, *veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis & sine scripto Traditionibus, quæ ex ipso Christi ore ab Apostolis accepta, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dicente quasi per manus tradite ad nos usque pervenerunt.*

IV. Probatur Catholica hæc Doctrina 1. ex Sac. Scriptura. Joan. 21. v. 25. ait Evangelista de Christo: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.* Quæ per hyperbolen dicta volunt Augustin. Cyrillus & alij Patres ad designandam multitudinem & magnitudinem rerum à Christo gestarum, sicuti Joan. 12. v. 19. *Ecce mundus totus post eum abiit.* Et quamvis Joannes facta solum Christi commemoret, hæc tamen utique dicta erant admixta; quemadmodum nullum prope factum Christi ab hoc aut alijs Evangelistis commemoratur sine aliquibus ejusdem dictis. Ea autem dicta & doctrina Christi cum nusquam scripta sint, ad Traditiones ac Verbum Dei non scriptum pertinent. Unde locus iste pro Traditionibus adeo clarus est, ut ex hæreticis Joan. Brentius in Proleg. de Tradit. scribat, *certum esse, multa fecisse Christum & dixisse, quæ scripta non sunt.*

V. Nihilominus hæc Amæsius duo obgannit Lib. 1. fol. 61. *Primum, non minus antiquos hæreticos inde suos colorare posse errores. Alterum, probare nos non posse, ea, quæ Christus dixit, non fuisse postea ab Apostolis scripta.* Resp. ad 1. disparitatem esse, quod ea, quæ nos ex tradi-

tione affirmamus, consonent veterum Patrum & Conciliorum doctrinis, nec Scripturis repugnent; secus se habeant signa antiquorum hæreticorum. Ad 2. non nobis, sed Adversarijs probationem incumbere, cum pro nobis stet præsumptio, & possessio veræ doctrinæ contra illorum novas accusationes. Qui Titium dicit homicidam; accusat, affirmat, atque homicidium probare tenetur. Qui Cajum dicit injustum possessorem domus; actor est, & ad probationem obligatur. Qui dicit Sempronij uxorem non esse honestam. Actor est, tenetque probare. Hæc adeo clara sunt, ut nemo, nisi rudissimus, sit, qui ignoret. Cum ergo nos Catholici à mille & quingentis annis teneamus utrumque DEI Verbum tam scriptum scilicet quam traditum: Et Sectarij hodie erroris nos accusent circa Verbum Dei, & negent non scriptum seu traditum aliquod verbum Dei extare, an non sunt Accusatores & Actores? An non illis incumbit probatio? An non jure merito contra eosdem utimur ultimis illis verbis Jephthe Judicum c. 11. v. 11. & 27: *Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam? non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa.* Plura de hoc passim per istud opus. Et videri possunt DD. à Walenburgh. Tom. 1. Part. 2. à fol. 239. ubi ex D. Augustino hanc nostram doctrinam demonstrant, & effugia hæreticorum refutant.

VI. 2. ad Thessalonic. 2. v. 14. *Itaque state & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Ubi præcipit Apostolus expresse post scriptum jam Evangelium aliaque, ut etiam Traditiones non scriptæ serventur. Unde adversus omnem sinistram interpretationem sic argumentamur. Si Paulus hortetur Thessalonicenses, ut observent, quæ verbo prædicavit, non autem scripto consignare voluit, tunc non male sit, aliqua pro Apostolicis Traditionibus haberi. Sed Apostolus Paulus Thessalonicenses hortatus est, ut observarent, quæ verbo illis prædicavit, scripto autem consignare non voluit; nempe de tempore adventus Anti-Christi post destructum Romanum Imperium, ut interpretantur Patres. Ergo non male sit, aliqua pro Apostolicis Traditionibus haberi, quæ expresse in Scriptura non continentur. Huic discursui consonant verba Oecumenij, Basilij, Damasceni & aliorum super dictum textum Apostoli, quæ mox referam. Quod autem Amæsius fol. 62. autumat, ea, quæ Paulus verbo tenus tradidit, ab alio postea scripta fuisse, vanum est, nec meretur fidem, ut bene notat Theophylactus in Epist. 1. Cor. 11. super illa verba Apostoli v. 2. sicuti tradidi vobis, præcepta mea tenete, sic scribens: *Liquet ex his, cum Paulum, tum Apostolos reliquos handquaquam omnia litteris mandasse præcepta, quæ populis tradidissent.*

VII. 2. ad Timoth. 1. v. 13. ait Apostolus: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti;* non ait, quæ tibi scripti; etenim affirmat 2. Timoth. 2. v. 2. *penes ipsum fuisse Verbum Dei depositum coram testibus,* quod non foret opus, si scripsisset; aut ubi scripta conspiciuntur? 1. Cor. 11. v. 34. ait Apostolus: *cetera cum venero, disponam.* S. Chrysofom. & Theophylactus notant expresse in hunc locum, D. Paulum loqui de præceptis non scriptis; aut ubi sunt illa, quæ disposuit Apostolus? Actor. 1. v. 3. dicitur de Christo, *quod Apostoli*

postolus se post resurrectionem suam manifestavit per dies 40 apprensus & loquens de Regno Dei, hoc est, de futuro Ecclesiae statu, & institutis. Ubi hæc leguntur scripta? Moyses quoque Judæos ad Majorum traditionem remisit Deut. 32. v. 7. *Memento dierum antiquorum; cogita generationes singulas, interroga Patrem tuum, & amantibus tibi, Majores tuos, & dicent tibi.* Et Job cap. 8. v. 8. *Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam, & ipsi docebunt te.* David Psal. 43. v. 1. *DEUS auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Eccles. c. 3. v. 9. *Ne desicias narrationem Presbyterorum Sapientum, ab ipsis enim discas sapientiam & doctrinam &c.*

VIII. Probatur 2. exemplis Traditionum. Nam sic tenemus, nostra Biblia esse veram Scripturam, & Dei Verbum: Spiritum Sanctum non solum à Patre, sed etiam à Filio procedere: Beatiss. Mariam semper permansisse Virginem, etiam in, & post partum: Parvulos esse baptizandos etiam absque actuali propria fide. Baptizatum hæreticum non esse rebaptizandum, adeoque Baptismum ab hæreticis collatum esse validum: Symbolum Apostolicum necessarium acceptandum & retinendum esse. Plura tam Novi, quam Veteris Testamenti affert Adamus Tann. r. Tom. 3. fol. 32. 4.

IX. Multum se hic torquent Sectarij, ut elabuntur. 1. Jacob Håilbrunner in Acatol. suo Patru fol. 533. miratur, hos non-scriptos fidei articulos sibi objici, cum inter Evangelicos & Romano-Catholicos non sint controversi. Sed vanum effugium. Nam non jam controvertitur, an Articuli illi sint veri: sed hæc est controversia; an etiam aliqui articuli credendi, qui neque per se in Scriptura continentur, neque ex ea per bonam consequentiam deducuntur? Sectarij negant. Catholici affirmant, & afferunt nonnullos fidei articulos, qui in Sac. Scriptura non habent solidum, immobile, & irrefragabile fundamentum. Ergo non omnes articuli in Scriptura continentur.

X. 2. Guilielmus Amesius Tom. 1. fol. 59. & Ioan. Gerhardus lib. 1. fol. 47. volunt, omnia esse scripta, idque probant ex Bellarm. lib. 4. de Verbo DEI c. 11. ubi ait, omnia scripta esse, quæ sunt omnibus necessaria. S. d. inane iterum effugium. Nam Cardin. Bellarm. minus loquitur solum de omnibus Scitu ad salutem simpliciter & expressè necessarijs, ut ex paulo ante dictis clarè patet. Unde non nisi perversè effectum illud generaliter accipitur, & ad quælibet applicatur. Certè Baptismus in re vel in voto susceptus omnibus in novo Testamento est indispensabiliter necessarius: Notitia tamen ejus necessitatis non est omnibus etiam adultis necessitate medijs necessaria, siquidem in infantia baptizatus, si postea ignoraret Baptismi necessitatem, crederet tamen de SS. Trinitate & Christo ea præcisè, quæ in Symbolo Apostol. continentur, posset salvari, ut omnes concedunt.

XI. Plerique Acatolici docent, talia & plura similia exempla pro Traditionibus adduci solita deduci saltem ex Scriptura. Sed hoc quoque frustraneum est effugium. Primò enim, Biblia, quæ nos habemus, esse vera Biblia & Canonica Scripturas, non posse ullo modo ex Sac. Scriptura ostendi, supra jam & clarè demonstravimus.

XII. Secundo. Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, negant Græci, non factari, si

istud ex Sac. Scriptura luculenter deduci posset. Unde Patres ex Verbo tradito id probarunt, quibus subinde victi Græci consenserunt, & Catholica Ecclesiae adhæserunt, quamvis ex instantia postea se iterum separarint.

XIII. Tertiò. DEI param Mariam semper etiam post partum Virginem permansisse, esse articulum fidei omnibus credendum, apertè docet S. Augustinus cap. 69. de Eccl. dogm. (hujus enim libri ipse à plerisque creditur Author) sic scribens: *Integrè fide credendum est, Beatam Mariam DEI Christi Matrem, & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse. Nec est blasphemie Helvidij acquiescendum, qui dixit, fuit Virgo ante partum, non Virgo post partum.* Ex quo autem textu Scripturæ probari hoc potest? ex nullo, sed ex mera habetur Traditione, ut etiam Erasmus Roterodamus (quem facilius admittent Adversarij) fatetur præf. in lib. s. Hieronymi adversus Helvidium his verbis. *Inveni hic egregius Doctor discipulos, hoc est, dignum patellâ operculum, qui Helvidiani sunt dicti, sive, quemadmodum testatur Epiphanius, Anti-dicomariani, græco vocabulo, quos latine possis dicere Adversarios Mariae.* Hunc igitur Helvidium refellit Hieronymus, & confirmat, Mariam fuisse perpetuò Virginem, etiam si hoc non sit apertè scriptum in litteris divinis, sed Apostolorum & Patrum traditione veluti per manus ad nos derivatum & omnium Christianorum consensu comprobatum. Jam igitur vel concedunt Adversarij esse articulum fidei, quod DEIPATA Maria fuerit Virgo etiam post partum: vel istud negant. Hoc posterius fieri non potest absque blasphemia, cujus se reum agit Gerhardus lib. 1. fol. 62. Si itaque illud prius asserunt, jam admittitur, non omnes articulos in Sacra Scriptura contineri, aut per bonam consequentiam ex ea deduci.

XIV. Quarto. Baptismus rectè parvulis dari, & his prodelle docent nobiscum Sectarij contra Anabaptistas. Sed cum dicant apud Gerhardum Lib. 1. cit. fol. 48. totam Scripturam testari, neminem absque propria fide salvari & justificari, non possunt ex illa vel unicuique textum allegare, Infantes habere propriam & actualem fidem. Unde etiam Lutherus in Epistol. contra Anabaptistas ad duos Parochos apertè concedit, *lex nulla sententia Sac. Scriptura valide concludi, Infantes rectè baptizari; nihilominus laudabiliter istud fieri, quia à tempore Apostolorum in Ecclesia istemores viget; adeoque ex traditione habetur, ut præter alios Patres antiquus Origenes docet Lib. 5. cap. 6. in Epist. ad Roman. his paucis verbis: Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis baptismum dare.*

XV. Quintò. Baptizatos hæreticos non esse rebaptizandos iterum rectè nobiscum Catholicis admittunt Novatores. Sed hunc articulum contra Cyprianum ejusque Adhærentes non potuit sufficienter probare ex Sacra Scriptura Stephanus Romanus Pontifex, sed solam Ecclesiae Traditionem fortissimè & constantissimè opposuit, ex qua etiam tem feliciter evicit, & consensum totius Christianitatis obtinuit, ut pluribus refert Card. Baronius in Hist. Eccles. ad annum Christi 258. Quà de re etiam Augustin. Lib. 5. de Baptif. contra Donatistas, cujus verba in fine prioris controversiæ attulimus.

XVI. Sextò denique Symbolum Apostolorum de Fide necessariò credendum & tenendum esse, agno-

agnoverunt SS. Patres, afferentes illud ab Apostolis ore tenus editum, & Ecclesiae traditum fuisse. Illud ipsum retinent moderni A Catholicis integrum verbo tenus, licet quoad sensum à veritate recedant. Calvinus quoque non vult dubitare, quin Symbolum illud ab Apostolis proficiscatur: neque verè mihi dubium est, inquit Lib. 2. Instit. c. 16. §. 18. quin à prima statim origine Ecclesiae, adeoque ab ipso Apostolorum saeculo instar publicae omnium calculi receptae confessionis obtinuerit &c. Unde autem & ipsi Calvino & cæteris Sectarijs dubium non est, nisi ex traditione Ecclesiae, & SS. Patrum, qui ab ipsis Apostolis traditum affirmant?

XVII. Probatur asserita Doctrina nostra 3. ex Patribus, quos fusè adducunt Cardin. Bellarminus L. 4. de Verbo Dei. cap. 7. Bernardinus Verweis in Speculo veræ Ecclesiae à fol. 18. & alij. Dionysius Areopagita (cujus opera in VI. VII. & VIII. Synodo generali citantur) Lib. de Eccles. Hierarch. c. 1. sic scribit: Primi illi nostri Sacerdotalis muneris Duces (Apostoli) in ijs, quæ nobis sunt familiaria, summa illa & supersubstantialia (pertinentia ad fidem) partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, juxta quod sacra definiunt leges, nobis tradiderunt. En oculatum & simul auritum Testem, cui nefas sit fidem derogare.

Irenæus Justin. Mart. Discipulus Lib. 3. c. 2. Cum autem, inquit, ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, & quæ per successionem Episcoporum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, qui adversantur Traditionibus: dicent, se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem: Apostolus autem admisit ea, quæ sunt legalia, Salvatoris verbis &c. Evenit itaque neque scripturis jam, neque Traditioni consentire eos, Similia & clariora habet cap. 4. quorum jam supra Contr. 2. §. XIII. meminimus.

Basiliius libro de Spiritu S. c. 27. hæc habet: Dogmata, quæ in Ecclesia servantur & predicantur, quædam habemus à doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus; quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Neg. in his quisquam contradicit. Quisq. sanè vel tenuiter expertus est, quid sint jura Ecclesiastica.

Epiphanius hæresi 75. contra Melchisedechianos: Testimonia, ait, nobis positi sunt, & fundamenta, & edificatio Fidei, & Apostolorum Traditiones, & Scriptura Sancta, & Successiones doctrinae, & undequaq. veritas Dei munita est. En minimè dubium sensum primitivæ Ecclesiae!

S. Chrysostom. in 2. Thessalon. 2. hom. 4. State, inquit, & tenete traditiones sive per epistolam sive per sermonem &c. Hinc perspicuum est, quod non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine scriptis: eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista &c. Itaque Ecclesia etiam traditionem esse fide dignam putamus. Est traditio, nihil queramus amplius.

Oecumenius super illa verba 2. Thessal. 2. v. 5. Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? & nunc quid teneat, scitis &c. sic scribit: Complura itaq. sine litteris tradebant mysteria, & non tantum per epistolas.

Basiliius lib. de Spiritu S. recens cit. eandem Apostoli epistolam tangens fimillima habet c. 29. ajens: Arbitror Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus in hæc. Laudo, inquit, vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, tra-

ditiones obtinetis, quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam.

Tertullianus circa annum Christi 200. de corona militis cap. 2. & 3. clarissimè autem 4. sic pronunciat: harum & hujusmodi disciplinarum si leges exposules scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi præceditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fidei observatrix. Rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, discies &c.

D. Augustinus non solum multa ab Apostolis sine Scripto Ecclesiae tradita & conservata sæpe recenset, sed etiam ex illis Fidei dogmata contra hæreticos confirmat, quod proprium est Verbi DEI, & unde cognoscantur traditiones Apostolicæ, ostendit. In Epistola 118. sic loquitur: Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel à plenarijs Concilijs &c. commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio & Resurrectio & Ascensio in Cælum, & Adventus de celo Spiritus Sancti amoveri sari celebrantur &c. Et lib. 10. de Genesi ad litteram c. 23. hæc notatu digna verba habet: Consuetudo Matris Ecclesie in baptizandis parvulis nequaquam spernenda, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda est, nisi Apostolica esset Traditio. Quid ad hæc Prædicationes? cum in Colloquio Ratisbonensi objicerentur, nihil aliud respondere poterunt, nisi pudentium illud: Nos ab Augustino hæc in parte liberè dissentimus, ut videre est in Protocollo Monachienfi edit. 2. sub finem pag. 367. Cum autem Dionysius Areopagita, Justinus, Irenæus, Ignatius Mart. Epiphanius, Cyprianus, Origenes, Athanasius, Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, Hieronymus, Ambrosius, Cyrillus, Damascenus, alijque Patres similia de Traditionibus habeant, si Sectarij ab omnium Patrum sana doctrina liberè dissentiant, quid reliquum habebunt, nisi insanos hæreticorum errores?

XVIII. Probat 4. Ratione. Prima. Quidquid DEUS loquitur, quomocumque loquatur, id indubitatè est credendum, cum infallibilis in omnibus suis dictis sit. Sed DEUS non loquitur tantum per Scripturam. Ergo non tantum credendum est, quod continetur in Scriptura, sed quæcumque à DEO sunt dicta. Min. Prob. Quia DEUS triplici modo loquitur hominibus, 1. per Scripturam. 2. vocaliter per sonum Verborum, sicut locutus est Moyfi ore ad os Num. 12. v. 8. 3. Mentaliter per internam illuminationem intellectus, sicuti Spiritus S. Apostolis fuit locutus Ioan. 14. v. 26. Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in Nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia. Qualiscumq. ergo sit sermo sive scriptus, sive vocalis, sive mentalis, modò certò constet, quod sit à Deo profectus, illi fides adhibenda. Sed tam certò constat, DEUM quædam hominibus dixisse, quæ non sunt in scriptura relata, sed voce tantum aut mentaliter patefacta & alijs per traditionem communicata, quàm certò constat, Scripturam esse Verbum DEI; nimirum per Ecclesiae testimonium, cum aliunde scire non possimus, Scripturam esse Verbum DEI, nisi per testimonium Ecclesiae. Ergo &c.

XIX. Secunda. Traditiones quædam extiterunt ante omnem Scripturam, ijsque solis etiam aliquando gubernabatur Ecclesia vera. Nam per

bis mille annos ab Adamo usque ad Moysen (qui natus an. Mundi 2043. habetur primus Scriptor Canonicus) nulla fuit Scriptura. Deinde rursus per bis mille annos à Moysè usque ad Christum fuit quidem Scriptura Sacra, sed solum penes Israeliticum populum, cum tamen ex alijs Gentibus multi haberent veram fidem, & ad veram Ecclesiam spectarent. Testari etiam D. Irenæum, suo tempore multos Barbaros, qui ad Christum conversi sunt, sine charta & atramento veteres traditiones ab Apostolis acceptas diligenter custodivisse, supra jam diximus.

XX. Amelius Tom. 1. fol. 56. hinc nihil probari autumat, tum quia viva semper vox DEI sonabat in vet. Ecclesia, tum quia Religio etiam sine Papatu, Baptismo, cæna Dominica, &c. fuit in vet. Ecclesia conservata; an idcirco ista in nova Ecclesia non sunt necessaria? Sed primum profus temere dicitur; unde enim probatur, DEI vocem continuo auribus Fidelium per bis mille annos infonuisse? certe Gentes, de quibus Irenæus, non ita assiduo senserunt vivam Apostolorum vocem? Alterum conceditur; nimirum Papatum, Baptismum, Cænam Dominicam &c. non esse absolute necessaria, sed tantum ex supposita Christi voluntate, qui utique sine his aliter suam Ecclesiam instituire potuisset. Sed quid hoc ad rem?

XXI. Tertia Ratio est. Hæretici ex eo, quod nullas Traditiones teneant, etiam nullam certam & infallibilem Regulam Fidei habent. Nam propria & immediata Regula fidei non est præcisè ipsa littera nuda seu cortex Sacra Scriptura secundum se, sed significatio illius, adeoque sensus & interpretatio. Hanc autem cum illi seposita Patrum & Ecclesiae Autoritate & Traditione aliunde non habeant, quam ex suo capite & ingenio depromptam, necessariò efficitur, normam Fidei, quam habent, infallibilem non esse. Unde fatentur, & se & universum suum Ministerium in Scriptura interpretanda absolute falli posse. De hisce rectè Augustinus de Gen. ad Litt. 1. 7. c. 9. Omnes, inquit, Hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non rectè intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.

XXII. Demum Doctrina nostra de Traditionibus omnibus retro sæculis in universa Ecclesia ita fuit recepta, ut pro hæreticis haberentur, quicunque eandem pertinaciter negarent; imò hoc ipsum fuit commune omnium quasi hæreticorum principium, nihil credendum esse, nisi particulatim in Scriptura Sacra expressum. Græci autem, licet ab Ecclesia Romana se separarent, Apostolicas tamen Traditiones semper retinuerunt, atque etiamnum illas custodiunt. Nam cum Lutherani & Calvinistæ Græcorum Societatem ambirent, & pro hac obtinenda ad diversos Patriarchas scriberent, Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha in epist. ad Jacobum Andream, & Martinum Crustum inter alia Respon. 1. c. 13. sic rescripsit: *Nostra Ecclesia gloriatur splendore Apostolicarum & Patriarum Traditionum &c.* Similiter etiam Theodosius Zygomata in epist. ad eundem Crustum: *Hoc autem scito, dogmata Ecclesie nostrae partim testimonij Sac. Scripturae constare, partim Apostolorum traditione; quas traditiones tanquam mysteria accepimus, & Majores nostri in his quieverunt. Laudo vos, inquit, & Traditiones tenetis. Et tenere Traditiones, quas*

accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam. Item Gabriel Episcopus Philadelphienfis in epist. ad prædictum Crustum: *Quæsi, inquit, de nostris rebus scire cupis, scito nos veram doctrinam & Sanctorum Apostolorum Traditiones sequi &c.* En utraque Ecclesia Latina & Græca semper constanterque Traditiones tenet.

XXIII. Doctrina secunda. Traditiones divinæ non scriptæ, & doctrina Christi in Evangelij conscripta: Item Traditiones Apostolicæ non scriptæ, & cætera Apostolorum scripta: Demum Traditiones Ecclesiasticæ non scriptæ, cum decretis Ecclesiae scriptis ejusdem sunt Authoritatis, eandemque vim habent ad Catholicam ac veram Fidem & Religionis doctrinam comprobendam. Ita D. Basilius, Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus supra s. VII. relati, dum aperte adstruunt, eadem fide digna esse tam ea, quæ Apostoli verbo tenus tradiderunt, quam quæ scripto consignata reliquerunt. Idem supponunt cæteri Patres, & ex communi Theologorum docet Cardin. Bellarminus lib. 4. de Verbo DEI. cap. 2. Ratio est manifesta, quia Verbum DEI non est tale, nec habet illam Authoritatem, quia scriptum est in membranis, sed quia à Deo profectum est vel immediatè per Christum, vel mediatè per Apostolos; ac pròinde eodem modo à Deo procedit, sive scriptum sit, sive non, ita parem semper habebit ac merebitur Authoritatem.

XXIV. Doctrina tertia. Universim loquendo, non deest modus seu regula, per quam legitimæ Traditiones ab illegitimis dignoscantur: & hæc Regula est in judicio & autoritate Ecclesiae Romano-Catholicæ sita. Ita Card. Bellarminus L. 4. cit. cap. 9. Gregorius de Valentia Tom. 3. Disp. 1. Q. 1. pun. 7. s. 43. Adamus Tanner Tom. 3. Q. 5. dub. 4. ex communi aliorum Theologorum. Ratio est, quia Ecclesiae Catholicæ infallibiliter constat de una Traditione legitima, ut ipsi Adversarij confitentur in Colloquio Ratisbon: supra cit. nempe hosce libros esse Sacram Scripturam. De qua etiam Martinus Kemnitius in exam. Trident. Sess. 4. sic ait: *Hanc Traditionem, quæ nobis in manum datur Sacra Scriptura Libri, reverenter accipimus. Cur ergo eidem constare infallibiliter nequeat de alijs quibusvis Traditionibus, cum eadem via & ratio discernendi ad omnes æquè suppetat? Et si Ecclesia est infallibilis in una traditione ad posteriores propaganda, cur non in omnibus? certe Apostolus 1. Tim. 3. v. 15. non limitatè, sed absolute illam vocat columnam & firmamentum veritatis. Ipse etiam Lutherus in omnibus illam infallibilem agnoscit Tom. 7. fol. 462. Germ. sic scribens: *Ecclesia nec debet, nec potest mentiri, nec errores docere ne in minimis quidem; cum DEUS sit os Ecclesie, & DEUS mentiri non possit, sic etiam Ecclesia nequit.* Sed vel maxime D. Augustinus lib. de utilitate credendi c. 14. disertè docet, eandem Ecclesiae Authoritatem sufficere generatim ad discernendas Traditiones legitimas ab illegitimis: *Cur non, inquit, apud eos potissimum diligentissime requiram, quid Christus præceperit, quorum autoritate commotus Christum aliquid utile præcepisse, jam credidi? Tunc mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, ut dixi, fama celebritate consensione vetustate roborata. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi nemini dubium est, quin nihil dignum autoritate proferatis. Quæ**

igitur ista tanta dementia est? Illis crede, Christo esse credendum: & à nobis discite, quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quidquam docere possent; multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo quidquam, nisi ab his, per quos ei credidissim, discendum.

XXV. Doctrina quarta. Speciatim loquendo, quadruplex est ratio ac norma, quæ ipsæ quoque Traditiones divinæ & Apostolicæ discernantur, ac dignoscantur. Ita Authores proprio Doctrina citati, & alij, qui in prædictas regulas conveniunt; non quod una Traditio ex una harum regularum, & alia ex alijs cognoscatur; constant enim fere omnes ex illis omnibus: sed quod singulæ illarum regularum sufficiant ad quamlibet Apostolicam Traditionem deprehendendam.

Prima igitur est infallibilis Ecclesiæ Autoritas, quando vel Concilia, vel Summus Pontifex aliquid tanquam ex Traditione divina vel Apostolica acceptum proponunt credendum vel tenendum. Sic Patres in VII. Synodo act. 6. Imaginum venerationem, ut ab Apostolis traditam, approbaverunt.

Secunda est concors Patrum sententia, quando vel circa communia dogmata & objecta aliquid tanquam ex fide certum asserunt, vel expressè affirmant quidpiam ex Apostolica Traditione profectum. Dixi circa objecta communia: non particularia quælibet v. g. Concilium Nicænum fuisse legitimum; quia hæc traditio particularim spectata propriè est traditio Ecclesiastica, utpote Apostolorum tempore posterior.

Tertia est unanimitas consensus & usus Fidelium, si quid extra Scripturam circa fidem aut Religionem credant vel observent, præsertim si id majus quiddam & excellentius sit, quam humanam auctoritate constitui potuerit; cum enim Ecclesia, ut recens dictum, sit columna & firmamentum veritatis, non errat circa res fidei. Atque hinc probari potest Potestas dispensandi in votis, & relaxandi juramenta, item diremptio matrimonij rati per votum solenne Religionis &c. in Ecclesia usitata.

Quarta eaque latissimè patens Regula est, quam D. Augustinus lib. 4. de Baptif. contra Donatist. cap. 24. magno Orthodoxorum consensu tradit in hæc verba: Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilij institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolica Autoritate traditum rectissime creditur. Unde etiam idem S. Pater epist. 118. ad Januarium cap. 5. scribit, insolentissimam insaniam esse, de ijs rebus disputare, quas universa tenet Ecclesia. Ratio est aperta, quia si aliquid circa fidem aut Religionem omnibus retro annis in Ecclesia fuerit receptum aut observatum, ita ut ex nullius Concilij aut Ecclesiæ decreto initium ejus sciatur, meritò ab Apostolis creditur institutum, etiamsi tale id sit, ut ab Ecclesia institui potuerit. Hujus generis sunt Ordines Minores, sejunium quadragesimale, observatio Diei Dominicæ &c.

M. R. A.
E. E. E. E.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETI-
CORUM.

XXVI. Error primus. Sacram Scripturam continere omnia credenda, nihilque esse fide divinam tenendum, nisi in Scriptura ostendiqueat: & consequenter nullas esse admittendas Traditiones utpote superfluas. Ita tam Veteres plerique Hæretici, quam Moderni, è quibus Lutherus in cap. 1. ad Galat. sic detonat: Neque alia doctrina in Ecclesia tradi debet, quam puram DEI Verbum, hoc est, Sacra Scriptura. Doctores seu Auditores alij anathema sint. In eundem modum ex cathedra sua statuit Calvinus Lib. 4. Institut. c. 8. §. 8. Esto igitur firmum axioma, non aliud habendum Verbum DEI, cui detur in Ecclesia locus, quam lege primum & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur, nec alium esse in Ecclesia rite docendi modum, nisi ex ejus Verbi præscripto & norma. Priorem sequuntur Ioannes Gerhardus lib. 1. à fol. 29. & omnes Lutherani. Posteriorem Guilielmus Amesius Tom. 1. à fol. 55. Petrus Molinæus in suo novo Papatu à fol. 202. & omnes Calvinistæ.

XXVII. Probant 1. ex Sac. Scriptura Deut. 4. v. 2. Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et ibid. c. 12. v. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facite, nec addas quidquam, nec minuas. Proverb. 30. v. 6. Ne addas quicquam verbis illius. Galat. 1. v. 9. Siquis vobis evangelizaverit, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Et ibid. c. 3. v. 15. Hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat; quasi diceret, quanto minus Testamento DEI aliquid superaddendum. Epist. 2. ad Timoth. 2. v. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus. Apocal. 18. v. 22. Confessor omni audientii verba prophetia libri hujus: si quis apposuerit adhuc, apponet DEUS super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetie hujus, auferet DEUS partem ejus de libro vite.

XXVIII. Probant 2. ex Patribus. Veteres, si quandoque admittunt Traditiones, non intelligere per has nisi in Sacra Scriptura contentas: Vel certe non loqui de Traditionibus Dogmaticum, sed solum quarundam ceremoniarum, rituum, & consuetudinum in Ecclesia observati solitarum, de quibus in præsentem non controversatur.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 129. & 141. scribit. Apostolos habuisse res quasdam secretas, sicuti Philosophi, cui vehementer se opponunt Tertullian. de Præscript. p. 95. & 97. & Irenæus advers. hæres. lib. 3. c. 2. & 3.

Cyprianus lib. 2. epist. 3. docet, Christum solum audiendum; si solus Christus audiendus est, inquit, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.

Irenæus lib. 3. cap. 2. cit. ait: Cum ex Scripturæ arguantur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum; quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dicta, & quia non possunt

inve-

inveniri ex his veritas ab his, qui nesciunt traditionem.

Hieronymus in Aggæum Prophetam cap. 1. *Gladus, inquit, Verbi DEI percussit omnia, quæ absque autoritate & testimonijs scripturarum, quasi traditione Apostolica reperunt, atque confingunt.*

XXIX. Probant 3. ex Ratione. Tum quia convenit divinæ Bonitati, ut ea omnia, quæ creditu necessaria sunt, Christus Apostolis manifestavit, eaque consignata litteris reliquerit per se vel per Apostolos. Tum quia cuncta, quæ ad Religionem pertinent, sufficienter in Sac. Scripturis continentur, ut affirmant Patres relati apud Bellarminum lib. 4. de Verbo DEI. cap. 11. Tum quia si omnia omnibus necessaria vel utilia scripta sunt, tunc tota DEI voluntas ad salutem hominem revelata est. Sed verum est Antecedens ex confessione Bellarmini loc. recens cit. Ergo & Consequens; siquidem tota DEI voluntas omnibus est utilis, quia facit ad salutem omnium. Tum quia litteræ divinæ scriptæ sunt, ut habeamus Regulam & Normam perfectam fidei & morum. Ergo nullæ sunt Traditiones non scriptæ. Tum quia impossibile videtur, Traditiones non scriptas potuisse tam diu conservari puras propter hominum oblivionem, imperitiam, negligentiam & perversitatem. Tum quia proprium hæreticorum est, abscondere sua dogmata, ac dicere, Apostolos quædam palam omnibus prædicasse, quædam occultè solum nonnullis tradidisse. Tum quia per hujusmodi traditiones etiam magnæ autoritatis viri seducti fuerunt, ut Eusebius lib. 3. histor. scribit de Papiæ &c.

XXX. Errorem hunc abunde rejecimus Part. priorè, & ei opposuimus veritatem Catholicam in Sac. Scriptura fundatam, Sanctis Patribus agnitam, validis rationibus demonstratam; quæ veritas summam in hoc consistit, quod Spiritus Sanctus Patribus & Rectoribus Ecclesiæ res fidei non scriptas infallibili illuminatione & favore imprimat, inscribat, atque illas servet juxta illud D. Pauli 2. Corinth. 3. v. 2. *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ sciuntur & leguntur ab omnibus hominibus, manifestati, quod epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu DEI vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Dicere vult Apostolus. *Epistola estis Christi longe pretiosior, quam in pergamento & charta scriptum Verbum; quia illa non est exarata atramento, sed Spiritu DEI viventis supra carneam tabulam cordis.* Solum lubet hic addere absurdas quasdam ex illo sequelas. Si igitur Fides pendet ex sola Scriptura, sequitur 1. sublata Scripturâ & ab Ethnicis combustâ totam fidem perire, veluti sublato fundamento. 2. eos, qui nesciunt legere, non posse credere, quia non sciunt, quid scriptum, & alijs prælegendibus fidere non audent; quippe omnis homo mendax & fallax. 3. eos, qui primarias linguas, quibus usi sunt Canonici Scriptores, videlicet Hebraicam, Græcam, & Latinam nesciunt, non posse credere; quia Vernaculæ linguæ Anglica, Germanica &c. non sunt Authenticæ, nec certò constat, eas originali textui respondere. Unde liquet, non omnia requisita ad fidem contineri in Scriptura; imprimis enim non est istud credendum ipsi Scripturæ, quod hæc sit Scriptura Authentica, non ficta, non supposititia, non falsificata &c. quod revera ex ipsamet Sac. Scriptura discere non valemus.

Atque hoc argumento ex Evangelicis præcipui viri fuerunt coacti admittere Traditiones, cum hæc infallibilitas Sac. Scripturæ nitatur. Argumenta in oppositum allata nihil evincunt. Itaque

XXXI. Respond. 1. ad probationes ex Sac. Scriptura. Ad textum ex Deut. 4. & 12. Inprimis quæro, vel istud præceptum illis locis expressum spectat ad solos Judæos, vel ad solos Christianos, vel ad utroque. Si ad solos Judæos, cur Sectarij Lutherani æquè ac Calvinistæ apud Gerhærdum & Amesium id obijciunt nobis Christianis? Si ad solos Christianos, cur Sectarij non se circumcidunt, cum circumcisio tunc fuerit præcepta? Si ad utroque. Ergo Christiani omnes nunc obligati sunt ad omnia præcepta ceremonialia, quæ olim DEUS in veteri Testamento dedit, quod est falsum, cum lex Moysis non amplius valeat, ut ipsi Novatores fatentur. Deinde loquuntur citati textus ex Deut. solum de libris Moysis, quibus postea multa Scriptores sacri addiderunt; aliàs nec Evangelium & totum novum Testamentum admittere deberemus. Demum eadem Testimonia ex Deut. non loquuntur de tali additione, quæ quidpiam à DEO dictum asseritur, licet non scriptum, sed de additione fallaci, quæ ipsi sacra Scripturæ fictitium aliquid adjungitur assumendum tanquam pars illius. Atque in hunc eundem sensum intelligendus est textus ex Proverb. 30. adductus, ut rectè Tirinus & alij.

XXXII. Non obstat, Deut. 12. cit. haberi particulam tantum, quod præcipio tibi, hoc tantum facto. Nam in hebraico textu non reperitur. Ad hæc verbum faciendi hic non significat quaslibet hominum actiones, sed tantum sacrificia, hoc tantum facto, id est, aliter mihi non sacrificato, ut docent antecedentia verba, quibus prohibita fuerunt Gentium sacrificia, quæ filios & filias immolabant igni comburentes; tali modo non vult DEUS sibi sacrificari, sed ritu à se præscripto, quem in utroque Testamento sibi reservavit, sicut etiamnum non licet, aliter sacrificare, quam per Eucharistiam à Christo institutam; cui expositioni favet lingua hebraica, quæ verbum faciendi sæpe accipit pro sacrificare.

XXXIII. Ad textum Gal. 1. Apostolum, maledicendo & execrando omnes, qui aliquid prædicaverint præter id, quod ipse prædicavit, non loqui de suis epistolis scriptis, sed de vocalibus concionibus; deinde præpositionem præter sumi pro contra; etenim certum est, inquit Tirinus ad hunc locum, tam græcum *παρά*, quam latinum præter tum apud sacros, tum apud prophanos Auctores Aristotelem, Terentium & alios usurpari pro contra. Locos Sanct. Patrum sic particulam illam interpretantes assert Bellarm. Lib. 4. cit. cap. 10.

XXXIV. Ad textum ex c. 3. ad Galat. Sanctum Paulum intelligendum esse de addidamento contrario, quod mentem Testatoris everteret; etenim Testes subscribendo testamento addunt aliquid de suo absque vitio. Colligitur hoc aperte ex discursu Apostoli plus non requirente; probare namque vult, circumcisionem & alias ceremonias legis Judaicæ non requiri ad salutem, sed sufficere fidem in Christum, & media ab illo præparata, siquidem DEUS totis quadringentis & triginta annis ante institutam circumcisionem

& alia legis Moysaicae decreta jam promiserat Abraham anno vitae ipsius 75. & ejus Posteris per modum Testamenti salutem per Christum ex illo nasciturum. Si ergo postea per institutionem legis Moysaicae nova Conditio ad consequendam salutem fuisset requisita, tunc eversa esset prior promissio; quemadmodum si Testator aliquem cognatum ex asse omnium Bonorum haereditem scripsisset absque alia conditione: & aliquis postmodum testamento apponeret hanc conditionem, si habuerit filios &c. plane everteret mentem Testatoris. Verum traditiones Ecclesiae Verbo DEI scripto seu Testamento nihil addunt contrarium, quo DEI dispositionem evertant. Ergo non repugnant Testamento DEI, nec ab Apostolo improbantur.

XXXV. Ad textum ex epist. 2. ad Timoth. c. 2. negando, quod idem sit, esse utilem Sac. Scripturam, ut perfectus sit homo ad omne bonum: ac esse sufficientem, excluso omni alio medio ad eum finem. Nunquid enim sol est utilis ad omne vivens producendum? an ideo etiam sufficiens sine causis particularibus secundis & Universali Prima? Omnis etiam homo vivit, num ideo solus homo vivit? Dicit Apostolus, *Sacra littera*, ubi dicit sola? ait idem, *Scripturae utiles sunt*, ubi dicit sufficientes sunt, ut Traditionibus opus non sit? cur ergo vos haeretici Scripturae verba distorquetis contra genuinam illorum significationem & contra receptissimum usum? contra mentem D. Pauli? contra communem Patrum interpretationem? Praeterea si vox utilis idem denotat, ac sufficiens, tum omnis Scriptura, adeoque solum etiam vetus Testamentum erit sufficiens ad salutem & instructionem, quia istud est utile ad docendum &c. & ipse etiam Apostolus de hoc solo loquitur; dixerat enim immediate ante de Timotheo, quod ab infantia didicerit sacras litteras; utique Testamenti Veteris, quia tunc libri novi Testamenti nondum erant scripti: Si autem solum antiquum Testamentum, quod didicerat Timotheus, est utile ad docendum, ut subjungit Paulus, cur non cuiuslibet hujus liber? Ecce quo deveniat, qui semel a recto tramite deviat! Demum Apostolus ad Theosal. 2. c. 2. cit. monet & mandat scribens: *tenete traditiones sive per sermonem sive per epistolam nostram*. Ergo praeter Sacram Scripturam judicat & admittit, Verbum non scriptum, sed per sermonem traditum esse utile & observandum.

XXXVI. Ad textum ex Apocal. 22. aliud hinc non sequi, nisi tam Apocalypsi D. Ioannis, quam alijs omnibus & singulis Sac. Scripturae libris nihil veluti ad illos spectans esse addendum, aut ex ipsis auferendum, adeoque nullum librum Bibliorum esse vitandum, quod ipsum etiam Concilium Tridentinum in decret. de Canon. Scripturis gravissimè prohibet. Quemadmodum autem cum eo, quod Evangelio v. g. S. Matthaei nihil addendum tanquam spectans ad illud, adhuc consistit, quod alia Evangelia ab alijs Evangelistis scripta addantur, ita etiam cum tota Sacra Scriptura integrè conservata Verbum DEI traditum optime cohaeret. Viderint autem Sectarii, quomodo ipsi eyadant plagas in Apocal. expressas, cum non solum ex diversis Sacrae Scripturae libris capita, sed etiam ex Canone totos libros tollant,

XXXVII. Respond. 2. ad probationem ex Patribus. Quamquam veteres nomine Traditionis subinde intelligant doctrinas in Scriptura contentas, aut sensus Scripturae ex traditione Ecclesiastica habitos: item formulas Verborum, ut *quiescat, detreget* &c. demum nonnulla quaedam ad ad ritus & ceremonias potius, quam ad dogmata pertinentia, attamen clarissimum est, SS. Basilium, Chrysostomum, Augustinum loqui expressis verbis, & quidem in actu signato de dogmatibus, ut liquet exemplo vel folijs Symboli Apostolici. Et si etiam loquerentur de solis ritibus, verborum formulis, & sensu Scripturarum, jam haberetur Traditionum necessitas; quisquis enim pertinaciter contenderet, ejusmodi rituum institutionem non nisi auctoritate in Scripturis a DEO concessa, absque dubio haereseos labe forderet. Unde falsum est, Adversarios de Traditionibus in hoc sensu non movere litem; licet enim fateantur, Veteres nomine Traditionum interdum ritus, ceremonias, & ordinationes Ecclesiasticas intelligere, negant tamen haece virtutem & dignitatem sacram: item ordinationibus & ritibus Ecclesiae vim obligandi. Equidem ejusmodi res v. g. formare Crucem, uti aqua benedicta, observare dies festos & abstinentiam a carnibus certo tempore non sunt articuli fidei nec spectant ad fidem, sed ad mores, innuntur tamen duobus fidei articulis. 1. quod Ecclesia in ordinatione & observatione illarum errare non possit. 2. quod quilibet Christianus in conscientia sit obligatus, Ecclesiae leges & ordinationes servare.

XXXVIII. Ad Clementem Alexandrinum, hunc per tes secretas intelligere fidei nostrae mysteria, quomodo saepe vocantur a Patribus; *Adhuc vereor*, inquit, L. 1. Stromat. p. 62. *ante porcos jacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & conversi nos frangant; est enim difficile, de vero lumine vere puros & perspicuos ostendere sermones suis, & indoctis Auditoribus*. In eundem modum scribit Tertullianus L. de Praescript. pag. 97. nec aliud ambo volunt, quam fidei nostrae mysteria non proponenda esse coram sciolis, scurris &c. Caeterum Clementem ex Traditione absurdos errores hausisse, quorum illum incusat Molinæus fol. 202. falsum est. Nam tam Baronius An. Christ. 196. quam Possevinus in appar. Sac. V. Clemens Alex. ostendunt ex Rufino & alijs libros Clementis ab haereticis orientalibus fuisse corruptos, & absurdos errores intrusos, quos rectè oppugnant Tertull. & Iren. Videatur Forer in Antiq. pap. L. 1. c. 21. §. 5. & c. 22. §. 2.

XXXIX. Ad D. Cyprianum, hujus S. Martyris & Doctores tempore fuisse haereticos, qui voluerunt, in Sacrificio Missae solam aquam calici infundendam esse; unde Aquarii appellati sunt. Contra hos Cyprianus scribit & docet, *nihil alienum ab haereticis excogitatum in hoc mysterium Cænae Dominicae inducendum; sed id dimittaxat faciendum, quod Christus JESUS fecit, & nobis, ut faceremus, praecepit*. Ex quo adeo nihil sequitur contra Traditiones, ut istae potius valde confirmantur. Nam in sacrificio facere debemus, quod Christus fecit. Quid autem fecit Christus? non solum vinum, nec solam aquam, sed vinum aqua mistum in Sacrificio obtulit. Unde hoc scimus, ubi scriptum, Christum in cæna calici vinum & aquam infu-

infudisse? nullibi. Ergo à sola Ecclesia & Traditione id habemus & tenemus.

XL. Ad Irenæum, scribere hunc contra Gnosticos & illos hæreticos, qui in circuitu ambulantes, & à Scriptura ad Traditionem; à Traditione rursus ad Scripturam provocant, atque undique se implicant. Hinc S. Pater mox subiungit, *illos ad Traditionem provocatos adversari etiam Traditioni.* Hæc autem non sunt adversus nos Catholicos, sed contra Sectarios; isti enim præ libitu Scripturas, quæ ad palatum non faciunt, rejiciunt; puta libros Machabæorum, epistolas Jacobi & Judæ &c. tanquam non sint ex auctoritate: cum versione latinâ impugnentur, hæc, inquit, non rectè se habet: cum traditione ex communi Ecclesiæ sensu premuntur, adversantur traditioni sese Patribus & Doctoribus omnibus præferentes. *Adversus tales ait ibidem Irenæus, certamen nobis est, qui more serpentum lubrici undique effugere conantur.* Cæterum ex cit. loco luculentem constat, eundem Patrem admittere Traditionem, quæ, ut ipse loquitur, *ab Apostolis per Successionem Presbyterorum in Ecclesijs custoditur.*

XLI. Ad D. Hieronymum; verba hujus ita sonare in Edit. Paris. an 1609. Tom. 9. pag. 102. *Sed & alia, quæ absque auctoritate & testimonijs Scripturarum quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque consingunt, percutit gladius DEI.* Ubi non videtur verbum *Omnia* apud Hieronymum; alia autem & omnia non sunt Synonyma 2. non legitur, *gladius Verbi DEI*, sed *gladius DEI*; equidem novi, Hieronymum loqui de gladio Verbi DEI, sed hoc Verbum non habet in textu. 3. apponitur particula *sponte*, à qua pendet tota rei substantia; & illam idcirco plerique hæretici omittunt. Hieronymus dicit, *Gladius DEI percutere adhuc alia, quæ hæretici sine auctoritate & testimonijs Scripturarum sponte & ex perversa sua voluntate reperiunt & fingunt, quasi Apostolica essent Traditiones.* Quid hoc contra Ecclesiam Romanam, quæ non invenit & fingit Traditiones Apostolicas, sed eas à Majoribus per legitimam successionem acceptas custodit? Dolendum sane ab hæreticis ita iniquè tractari veneranda Antiquorum Patrum Scripta?

XLII. Respond. 3. ad probationem ex ratione. Ad 1. & 2. pro certo nos credere, Christum omnia manifestasse, & Apostolos omnia annuntiasse; inde tamen non sequi, quod quædam scripserint, sed sufficere, quod quædam scriptis, quædam etiam solis verbis & manifestata & annunciata fuerint, quæ per aliorum scripta postea nobis sint tradita. Dicit etiam aliquo sensu potest, in Scriptura omnia contineri ad fidem & Religionem spectantia partim determinatè & in specie: partim generatim & implicite, quatenus ostendit Ecclesiam (*columnam & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15.) à qua omnia possunt disci, quæ sunt scitu necessaria: Sicut Index librorum è varijs Authoribus Collectus continet omnia, quia designat loca, ubi reperi queant. Atque in hunc sensum explicanda sunt loca Sancti Patrum apud Bellarminum, qui asserere videntur, omnia in Scripturis contineri, cuiusmodi multa allegarunt hæretici in Colloquio Ratisbonensi post Sess. octavam.

XLIII. Ad 3. Negando assumptum seu Minorem; pro qua fraudulenter adducitur Cardin. Bellarminus, cum nuppiam iste asserat, omnibus

omnia necessaria & utilia ad salutem ab Apostolis scripta: sed tantum de simpliciter & explicite scitu necessarijs loquatur; quæ duo necessaria inter se valde diversa sunt; hæc enim posteriora Bellarmini c. 11. cit. paucissima sunt, & Symboli Apostolici & Decalogi limites vix egrediuntur: illa autem Amesij tom. 1. fol. 73. plurima sunt, omnia scilicet revelata sive scripto sive traditione ad nos transmissa; quæ utique non omnibus scitu explicite utilia, ne dicam necessaria sunt, sed solum Prælati & Ecclesiæ Doctoribus; quid enim ea, quæ ad sacrificiorum & Sacramentorum administrationem, ad Ecclesiæ gubernationem, ad hæresum refutationem pertinent, quid, inquam, ista utilitatis simplicibus ac rudibus fidelibus afferunt? Sufficit ergo hisce indoctis & plebeis scire explicite Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. quæ sicuti omnibus omnino scitu ad salutem necessaria & utilia sunt, ita ab Apostolis scripto consignata fuerunt: & dum hisce paucis cognitis explicite assentiuntur, implicite etiam assensum præbent omnibus reliquis fidei dogmatibus, quæ sive scripta sive tradita tenet Ecclesia, parati semper, singulos fidei articulos prosteri publicè, quando id legitime fuerit requisitum.

XLIV. Ad 4. distinguendo Antec. Sacræ literæ scriptæ sunt, ut habeamus regulam partialem saltem & in pluribus, concedimus: adæquatam in omnibus & usquequaque perfectam sine ullius alterius accessu, negamus. Siquidem littera scripta sine accessu genuini sensus (qui sine traditione Ecclesiastica sæpissimè non constat) non est plus, quàm Corpus absque Anima. Nam, ut pulcherrime Hilarius Lib. 3. ad Constantinum Imperatorem scripsit: *Scriptura non in legendo sunt, sed intelligendo.* Cur autem quædam v. g. mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. habeant regulam scriptam: quædam verò non, uti Pædobaptismus, non-rebaptizatio hæreticorum &c. à bono Christiano non anxie est inquirendum, sed divino Beneplacito acquiescendum. Consequentia etiam negari possent, sicuti ab ipsjs hæreticis in pari argumentatione exploderetur: Symbolum Apostolicum & Decalogus sunt data, ut haberemus regulam perfectam Fidei ac Morum. Ergo Scriptura Novi testamenti non est Verbum DEI, aut saltem superfluum.

XLV. Ad 5. quod Sectarijs videtur impossibile, facillimum esse DEO; quemadmodum igitur iste Providentiæ suæ eximia cavet, ne in Sacra Biblia error irrepit fidei & moribus perniciosus, ita prohibet, ne Traditionibus Ecclesiasticis genuinis aliæ spurie admisceantur; quam providentissimam DEI curam amplissimæ illæ Christi pollicitationes innuunt Matthæ 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Luc. 10. v. 16. *qui vos audit, me audit.* Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit &c.*

XLVI. Ad 6. negando, proprium esse hæreticorum, abscondere sua dogmata, & sub pulchro Apostolicarum Traditionum prætextu alijs obtrudere; quia maxime proprium, imò commune omnibus hæreticis est, venena sua palam spargere sub specioso Verbi Dei velamine, ut de illis jam pridem rectissimè scripserit Tertullianus de Præscript. cap. 15. *Scripturas ostendunt, & hæc suâ audaciâ quosdam movent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo*

dimitunt. Absurditas illa mysteriorum turpium inter Gnosticos, Basilidianos Capocratianos &c. est paucorum apud Irenæum, Tertullianum, Epiphanium & Augustinum. Nihil tale habuere Ariani, Nestoriani, Eurychiani, Monotelitæ, Sacramentarij, & innumeri alij Sectarij. Et quid ad nos Catholicos spurca illorum deliramenta, quæ nomine etiam mysterij indigna sunt. Mysteria nostra ac Fidei dogmata sive scripta, sive tradita castissima sunt, & possent ubique propagari atque omnibus manifestari, si omnes protinus capaces forent, ut SS. Dionys. Chrysostom. Basilii alij Patres docent.

XLVII. Ad 7. denique rationem; si hoc argumentum firmum staret, in periculo ruinæ totam fore Sac. Scripturam; siquidem non solum falsæ & adulterinæ Traditiones, sed etiam falsi & spurij libri sub nomine Apostolorum antehac ipsis Biblijs inserti, & per illos non pauci boni Christiani decepti fuerunt. Papias Episcopus Hierapolitanus & Discipulus S. Ioannis Apostoli errorem suum ex scriptura potius pravè intellecta, quam ex traditionibus traxit, ut de ipso testatur Hieronymus in cap. 49. Isaïæ, & 19. Matthæi; unde ineptè & nequiter illum absolute contra Traditiones adducit Molinæus fol. 59. Videatur Forer lib. 1. cit. c. 8. num. 3.

XLVIII. Error secundus est, in Ecclesia Romana haberi solum Traditiones humanas. Ita ijdem Hæretici, è quibus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ art. 15. ait, nos Romano-Catholicos docere, quod per traditiones humanas mereamur gratiam justificationis, & remissionem peccatorum. Probat ex eo, quod passim à Scriptura damnentur; nominatim adducunt ista loca Matthæi 15. v. 9. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens, populus hic labijs me honorat, cor eorum longè est à me, sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Colossens. 2. vers. 8. videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum. 1. Pet. 1. v. 18. Redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis &c. Molinæus etiam fol. 59. nos Catholicos comparat Pharisæis, & antiquis hæreticis, qui Pharisæos imitati traditiones suas iisdem, inquit, D. Pauli verbis tuebantur, quibus hodie Papiistæ.

XLIX. Pro errore isto refellendo advertendum, duplices esse hominum traditiones; aliquæ harum consonant Sacra Scripturæ, aliæ dissonant. Priores laudat Scriptura supra adducta, & hic iterum illas confirmo hoc Syllogismo: Qui Traditiones rejicit, præcipuis Evangelij partibus damnum affert. Sed Sectarij Calvinistæ, Lutherani, & alij traditiones rejiciunt. Ergo &c. Min. patet. Majorem habet in terminis Basilii M. ut testatur D. Damascenus in oratione 1. de Imaginibus hisce verbis: D. Basilii in cap. 27. illius libri, quem de Spiritu Sancto 30. distinctum capitibus ad Amphilochem scribit: quæ in Ecclesia servantur & prædicantur, partim ex scripta constant doctrina: partim Apostolorum traditione data nobis in mysterio suscepimus. Et utraque quidem eandem ad pietatem vim obtinent. Nec quisquam is, qui vel mediocriter in Ecclesia jure versatus sit, contradixerit. Si enim, quæ scripta non sunt, sed moribus tantum & consuetudine continentur, tanquam magni momenti non sint, rejicere aggrediamur, imprudenter ipsis Evangelij partibus præcipuis damnum

afferemus. Hæc Damascenus ex D. Basilio, ubi ad propositum nostrum ultima verba speciatim observanda, priorum enim jam supra meminimus.

L. Posteriores Traditiones hominum rejicit eadem Scriptura locis recens adductis, & bene declarat Christus Matth. 15. cit. vers. 6. aiens: Irritum fecistis mandatum DEI per Traditiones vestras, id est, traditiones Scripturæ contrarias secuti estis; quales apud Judæos erant variæ. I. quod ante cibum lavandæ essent manus Matth. 15. v. 2. II. quod etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset repetenda. Matth. 7. v. 3. III. quod veniens è foro non debeat cibos capere, nisi lotæ essent manus. Marc. 7. v. 4. IV. quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus. Matth. 9. v. 11. V. quod ne quidem permittendum esset, ut quis à peccatoribus tangeretur. Luc. 7. v. 36. VI. quod in Sabbatho non liceret ægros curare. Luc. 6. v. 7. VII. quod famelici non possent spicas vellere & comedere in Sabbatho. Matth. 12. v. 1. VIII. quod frequenter esset jejunandum & orandum Luc. 5. v. 33. IX. quod omnium rerum etiam minimarum decimæ offerendæ essent Deo Matth. 25. v. 23. X. quod, qui juraret per templum vel altare, non esset reus criminis: qui autem juraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, esset reus. Matth. 23. v. 16. XI. quod filij non tenerentur reipsâ parentes suos honorare, aut illis benefacere, sed abunde sufficeret, munus aliquod DEO offerre. Matth. 15. v. 3. Has, inquam, traditiones humanas rejicit Scriptura, & reprehendit Christus, non quod omnes ex genere suo essent malæ, sed tum quia Pharisæi ex eorum observatione quærebant inanem gloriam & opinionem Sanctitatis apud homines Matth. 23. vers. 5. tum quia ex eorum observatione stabantur opes & divitiæ, præferim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Matth. 23. v. 14. & Marc. 12. v. 40. tum quia superstitione observabant suas traditiones, & interim mandata DEI negligebant. Matth. 23. v. 24. excolantes culicem, camelum autem deglatientes.

LI. Nullas hujusmodi traditiones humanas habet aut observat Romano-Catholica Ecclesia. Fatetur hoc ipse Calvinus lib. 4. Instit. c. 18. §. 10. aiens: Romanenses Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos ceremoniola: quæ non Apostolica censeatur. Verùm licet istud oppugnet & refellat mendacium Melanchthonis asserentis: Omnes Ecclesia Romana traditiones esse merè humanas; attamen reipsâ æquè errat Calvinus, ac Melanchthon; ille quidem, quia nos Catholici, ut sæpe jam dictum, duplices admittimus traditiones; unas ab Apostolis acceptas: alteras post tempora Apostolorum à Prælatibus Ecclesiæ introductas: iste verò, quia contrarium aperte docemus, nimirum nullo modo nos mereri justificationem aut remissionem peccatorum, sed eam gratis conferri nobis per merita Christi, ut patet ex Concilio Tridentino Sess. 6. c. 8. ubi hæc habentur: Gratia autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur. Quare dicto Melanchthonis super relato nihil subest, nisi impudens calumnia.

LII. Ad probationem Adversariorum, negamus Traditiones universim & ubique damnari in Sac.

in Sac. Scriptura. An non Epistola 2. ad Thessalonicenses est Scriptura sacra? quas tamen Traditiones commendat c. 2. v. 15. hisce expressis verbis: *tene Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Audio ex Sectarijs recentiorum quendam dicere, hinc non suffulciri Traditiones; cum concludi nequeat: Paulus in hac epistola quaedam dogmata non scripsit. Ergo illa in alijs Scripturis non reperiuntur; certe incepta & falsa hæc argumentatio: Quæ in ista epistola ad Thessal. non fuerunt scripta, meræ sunt traditiones. Doctrina de cœna Dominica non fuit in illa scripta. Ergo mera est traditio. Verum nos Catholici nequaquam sic argumentamur, sed in hunc modum validissime concludimus: Apostolus præcipit & vult, æquè observari, quæ ore tenus solum prædicavit; ac illa, quæ scripto consignavit, & non dirigit Thessalonicenses ad ullam Scripturam sive præsentem, sive futuram. Ergo doctrina illa Apostolica ore tenus solum tradita est observanda absque ulteriore directione ad ullam Scripturam; & hæc eadem directione Sectarij frustra Traditiones laqueant. Cæterum Traditiones, quas Scriptura & Dominus reprehendit, non sunt illæ genuinæ, sed solum adulterinæ, & humanæ, quæ initium habuerunt à quibusdam Rabbinijs, & non multum ante Christi tempora; ut aperte docet D. Hieronymus Epist. ad Algasia. q. 10. Tales adulterinas & humanas traditiones habere nos Catholicos, atque ideo Phariseis & antiquis hæreticis comparari posse; calumnia est Molinæ; aut nomet vel unam similem? interim nihil obest, Catholicos ipsidem hodie verbis D. Pauli uti, quibus olim hæretici uti fuerunt; quia non faciunt id eodem intellectu & fine.

LII. *Error tertius.* Nihil penitus assignari potest, quod ab universa Ecclesia per omnia sæcula fuit receptum, ut necessarium creditur aut observatum, quod in sacris litteris non continetur. Ita contra regulas supra à §. XXIII. à nobis allatas Guilielm. Amelius. Tom. 1. fol. 66. ubi ulterius sic arguit: Si, inquit, Traditiones eadem fide sunt recipiendæ cum ijs, quæ in Scripturis continentur, propter testimonium Ecclesiæ & Patrum consensum, sequitur 1. hæc testimonia Ecclesiæ & Patrum eandem autoritatem habere cum scripturis. 2. Scripsit Patrum eadem fide credendum, quæ scriptis Prophetis & Apostolicis credimus. 3. Sive Patres loquantur ex Scripturis, sive absque scriptura, nullam esse differentiam quoad fidem ipsis habendam. Præterea aliqui ex Neothericis graviter incusant Franc. Costerum nimis Traditiones extollentem in Enchiridio cap. 1. de Traditionibus: Ubi Traditio inquit, *Omniem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemque rationem Christianæ veritatis complectitur, & omnia, quæ de negotijs fidei oriri possunt, dissolvit.* Item: *hujus Traditionis præstantia multis partibus superat Scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt.* Alij verò præstantiam Sac. Scripturæ supra omnes Traditiones evincere volunt ex ipso Cardin. Bellarm. tum lib. 1. de Verbo Dei c. 2. ubi ait, *Sacris Scripturis nihil esse notius, nihil certius &c.* (quæ verba sæpe sæpius adducit Ioan. Gerhardus.) tum lib. 4. de Verbo DEI non scripto c. 11. in resp. ad 5. prope finem, ubi docet, *testimonia Scripturæ anteposenda esse testimonijs Conciliorum.* Atque isti æquè ac priores & ipse Amelius al-

latas regulas nostras retundere, & enervare contendunt.

Error iste non est diversus à prioribus; cum enim Adversarij Verbum DEI scriptum semper clamitent tanquam unicam regulam, ex qua omnia metiamur; utique omnes alias regulas abijcient, nihilque non scriptum admittent Verbo DEI scripto æquale. Quamvis autem nostros per Traditionem absque scriptura acceptos fidei articulos varijs calumnijs inquinent, omnibusque machinis inrefragabilium, uti sibi imaginantur, argumentorum impetant; nihilo tamen plus efficiunt contra veritatem, quam (verba repeto supra allata) nos opponimus in Sac. Scriptura fundatam, à SS. Patribus approbatam, & per validas rationes confirmatam, uti videre est in ijs, quæ hæcenus diximus, & fusius apud Card. Bellarminum toto libro 4. cit. ac summam in hoc consistit: quod Spiritus veritatis doctrinas fidei non scriptas per infallibilem suam illuminationem & gratiam cordibus Pastorum & Præpositorum Ecclesiæ infundat, inserat, & in eis illibatâ conservet, juxta illa Verba 2. Corinth. 3. v. 5. supra cit. *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu DEI vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

LIV. Negamus igitur, nihil assignari posse, quod ab universa Ecclesia per omnia sæcula fuit receptum, ut necessarium creditur & observatum, quod in sacris litteris non continetur. Nunquid supra §. VIII. plura hujusmodi fuerunt adducta? In Veteri Testamento Judæi per multa sæcula crediderunt, omnes & singulos libros, qui in canone ipsorum consignabantur, esse verè divinos & à DEO inspiratos; tibi hoc scriptum? Item foemellas à peccato originali per remedium aliquod particulare & necessarium purgari; ubi hoc in sacris libris fuit expressum? In Novo Testamento per omnia sæcula Christiani crediderunt, Evangelium S. Matthæi esse Verbum Dei: item totam Sac. Scripturam in ijs, quæ ad fidem & mores pertinent, manere nobis salvam & incorruptam; ubi hoc legerunt scriptum? Hanc traditionem, ajunt A catholici apud Kemnitium in exam. Trident. Sess. 4. supra citatum; quæ nobis in manus dantur Sacræ Scripturæ libri, reverenter accipimus. Quæro jam ex ipsis, Ecclesia Catholica vel potest fallere, vel non? si pritis, cur credunt Evangelium proponenti? si postèrius, cur non credunt eidem Ecclesiæ alias traditiones Apostolicas asserenti? & si rectè creditur Ecclesiæ Catholicæ laudanti Evangelium, rectè etiam omnino creditur vituperanti & condemnanti Lutherum, Calvinum, aliosque Novatores, ut optime contra Manichæos argumentatur D. Augusti contra epistolam Manichæi cap. 5.

LV. Ad objectionem Amelii respondemus, si tres illæ illationes rectè intelligantur, nempe de scriptis SS. Patrum concorditer aliquid attestantium, nihil in illis non piùm, rectum, ac sanum apparere; sensus quippe alius non est, quam testimonium Ecclesiæ ac Patrum æqualiter se habere respectu Verbi DEI, sive id scripto, sive vocali traditione ad nos derivetur; cum certissimum sit, & firmissimè teneamus, quod tam in uno, quam in altero decipi ab Ecclesiâ nequeamus.

LVI. Neotherici aliqui malè incusant Costerum Traditiones nimis ultra Scripturas extollentem;

lentem; cum ille pulchras hujus afferat rationes. 1. quia Traditiones ab ipso DEO cordibus sunt inscriptæ: Biblia à Prophetis & Apostolis sunt exarata. 2. quia traditiones sunt antiquiores, & statim cum Ecclesia ceperunt: Scripturæ in Novo Testamento multò post chartæ fuerunt mandata & promulgata. 3. quia Sacra Scriptura agnoscitur & confirmatur per Traditiones juxta D. August. c. 4. contra epistol. Fundamenti: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Auctoritas commoveret.* 4. quia Biblia sunt littera mortua; quæ truncari & diversimodè explicari se sinit: Traditiones verò cordibus à DEO inscriptæ manent integræ & immutata. 5. quia in Biblijs non continentur omnia, quæ ad plenitudinem doctrinæ Catholicæ sunt necessaria, ut liquet ex dictis: Traditiones verò comprehendunt omnia mysteria & fidei articulos, dant quoque verum illorum, & totorum Bibliorum sensum & intelligentiam.

LVII. Alij denique, dum Sac. Scripturam supra omnes Traditiones extollere nituntur, male utuntur verbis Cardinal. Bellarmini. Nam quando iste lib. 1. de Verbo DEI c. 2. ait, *Sacris Scripturis nihil esse notius; nihil certius &c.* Intelligendum id apud Christianismum qualitercunque professos, hoc est, apud illos, qui ex traditione Ecclesiæ jam admittunt libros Scripturæ esse Canonicos; quòd contra nos nihil juvat Gerhardum, qui, ut dixi, sæpe in hanc petram impingit. Ex verbis ejusdem Cardinalis Lib. 4. c. 11. non infertur, Verbum Ecclesiæ non esse Verbum DEI, cum omne Verbum DEI sit unius & ejusdem auctoritatis irrefragabilis, & veritatis infallibilis sive immediatè per se, sive mediatè per Legatum aut Interpretem loquatur. Interim nemo negaverit, si per impossibile discrepare posset Verbi Interpretis à Verbo, quod DEUS ipse per se proferre dignatus est, anteponendum hoc absque dubio illi. Ex hypothesis istà, juxta quam intelligendus Bellarminus tum hoc cit. tum lib. 2. de Ecclesia c. 12. ad initium, male infertur consequens absolutum. Simile est dictum hujus Auctoris illi Apostolico ad Galat. 1. v. 8. *Licet nos aut Angelus de celo evangelizet vobis, præterquam quod nos evangelizavimus vobis, anathema sit.* Sed de hoc ipso plura infra, ubi agemus de Ecclesia.

LVIII. Stant igitur inconcussa Regulæ nostræ, & firmissimè tenendum, dari Traditiones divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas, & Scripturam omnem esse quidem utilem ad docendum, & erudiendum in justitia, non tamen solam; quamvis enim ea, quæ sunt omnibus simpliciter ad fidem & bonos mores scitu necessaria, contineantur in Scriptura, multa tamen sunt præter hæc, quæ non omnibus & singulis, sed quibusdam tantum propter certum in Ecclesia munus sunt necessaria, nec tamen in Scripturis necessariò consignari debent. Quid ad plerisque in Ecclesia attinet, nùm heretici ad Ecclesiam redeuntes sint rebaptizandi? spectat autem istud ad Ecclesiæ Rectorem & maximè ad summum Pontificem. Unde licet Christus per Apostolos scripto non exprefferit, quid in hoc casu sit factu opus, tradere tamen per eisdem verbo, quid tunc fieri oporteat, non omisit. Quare cum eadem quaestio in Ecclesia motus gravissimos cieret, Stephanus Romanus Pontifex hæc eam verbis dicit: *Nihil immoveatur, sed illud servetur, quod traditum est:*

Atque sic Ecclesiam tranquillavit, & sublato periculo eandem in antiqua, pura, ac sancta doctrina conservavit; qui inde ob Catholicam Traditionem egregiè propugnatam meruit omnium præconijs celebrari, & aniverfarià commemoratione non solum à Latinis, sed & à Græcis in Tabulis Ecclesiasticis commendari. Ecce quantavis Ecclesiæ in Traditione, ubi Scriptura nihil virium eidem suppeditat! videatur jam cit. Baroniùs ad an. Christi 258. *Quemadmodum autem ab ista, ita à quibus alijs suis Traditionibus Ecclesia plurimum habet utilitatis; etenim hodie in moderna Ecclesia, aliquas Traditiones cum abusu haberi, calumnia est hæreticorum.* Plura de Traditionibus videri possunt apud DD. à Wallenburch Tom. 1. à pag. 779. ac nominatim varia effugia Cœceji, Scheibleri, Hündij, Zanchij, Crocij & aliorum contra doctrinam nostram; quæ tamen omnia hæc vel apertè refutantur, vel refutari ex dictis facile possunt.

CONTROVERSA IV.

QUOUSQUE SE AUTHORITY SACRA SCRIPTURA EXTENDAT?

Pura sub hac controversia continentur; nimirum quinam libri divinam habeant auctoritatem? in qua lingua? an quælibet etiam minima pars horum librorum pro infallibili Verbo DEO habenda? Singula horum sub distinctis controversiarum titulis tractari possent; sed placuit brevitatibus causâ omnia sub hac complexi, cum inter se cohererent.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **K**arolus Græcum verbum Latine regulam significat; unde omnes regulæ vocantur Canones, tanquam regulæ; secundum quas dirigendæ sunt actiones hominum. Inter alias verò leges primaria est de numero Librorum Sac. Scripturæ, quinam recipiendi pro Verbo DEI. Liber ergo hoc canone seu Catalogo comprehensus dicitur Canonicus, id est, pro Authentico DEI Verbo ab Ecclesia receptus & agnitus. Quare sicuti aliud est, esse Sanctum: aliud esse canonizatam, hoc est, pro Sancto receptum & declaratum; cum multi sint Sanctorum nondum canonizati, ita aliud est, aliquem librum esse Verbum DEI: aliud, esse Canonicum; quippe fieri potest: ut aliquis liber revera sit Verbum DEI, qui nondum agnosceatur pro Verbo DEI; sicuti olim dubitatum est de libris Machabæorum, & etiamnum dubitatur de tertio & quarto Esdræ, qui idcirco ad finem Bibliorum rejecti sunt, tanquam Apocryphi, hoc est, absconditi; quorum auctoritas nondum est comperta, siquidem Deus nondum revelavit Ecclesiæ; licet nomen apocryphi interdum durius sumatur pro illo, quod penitus

penitus ab Ecclesia rejectum; & improbatum; eujusmodi plures libri recensentur in iure Canonico c. 3. Dist. 15. Hoc quoad nomen Canonis præmissio.

II. *Doctrina prima.* In canone, quo utuntur Catholici, relati sunt hi libri Veteris Testamenti: *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judices, Ruth, Quatuor libri Regum, Duo Paralipomenon, Duo Esdra, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus, Quatuor majores Prophetae, Baruch, Duodecim Minores, Duo libri Machabeorum.* Item hi libri Novi Testamenti: *Quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, Quatuordecim Epistola S. Pauli, Tres S. Joannis, Dua S. Petri, Una Jacobi, Una Jude, Apocalypsis Joannis.* Univerſim libri 72. Veteris Testamenti 45. Novi 27. juxta decretum Concilij Tridentini Sess. 4. quod initio Bibliorum præſignitur.

III. Acceperunt autem Patres hujus Concilij canonem illum per Traditionem ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut videre est apud Barthol. Carranzam in summa Conciliorum: Rursus Eugenius eundem recepit à Gelasio Papa in Concilio Romano, ut patet ex Tom. 2. Concilior. in decretis Gelasij circa finem. Deinde Gelasius à D. Augustino lib. 2. de doctrina Christi c. 8. & Augustinus à Concilio Carthagenensi III. quod alij quintum, alij sextum appellant. Demum Patres hujus Concilij acceperunt ab Innocentio I. Papa in epistola ad Exuperium; Vixit autem Innocentius anno Christi 402. Itaque ab hoc tempore primitivæ Ecclesiæ ad nos usque per continuam traditionem perseverat idem ille Sac. Scripturæ Canon, quem nos Catholici nunc tenemus & amplectimur.

IV. Obijcere solent Adversarij, Concilium Carthagenense, licet huic interfuerit & subscriperit Augustinus, fuisse tamen Provinciale, & fallibile, imò viciatum; etenim Canon quadragessimus septimus secundi Concilij Carthagenensis, ubi numerus librorum Sac. Scripturæ definitur, facit mentionem Bonifacij Papæ, qui multo post hoc Concilium fuit primum electus. Resp. t. ex Baronio Tom. 5. & ejus Compendiatore Spondano ad an. Christi 397. n. 26. fuisse quidem Concilium Provinciale, sed postea confirmatum in universali Concilio Lateranensi. 2. Canones vitio Librariorum ex tertio Concilio Carthagenensi sub Bonifacio Papa celebrato ad secundum esse transportatos, nullo ipsius veritatis detrimento.

V. Ex allata doctrina & decreto Tridentini Concilij manifestè apparet, Romano-Catholicam Ecclesiam nec posse nec velle aliquem librum pro merito suo arbitrio facere Canonicum, vel non Canonicum, ut falsò ipsi imponunt Sectarij: sed proſterti, solos illos libros agnosci & admitti debere tanquam Canonicos & sacros, quos Prophetae & Apostoli dictante S. Spiritu scripserunt. Est quidem aliquorum Theologorum opinio Patri Adamo Tannero Tom. 3. D. 1. Quæst. 7. n. 56. non proſus improbabilis, Ecclesiam etiamnum posse librum aliquem olim scriptum, & in auctoritate hætenus existentem, nec positive rejectum proponere & declarare tanquam sacrum, atque in canonem recipere: oppositum tamen videtur verius; tum quia ad illud non suppetunt sufficientia Veterum testimonia, tum quia usus & sensus præſentis Ecclesiæ non est talis,

ut ex isto fieri id posse existimemus. tum quia libri nonnulli, quos hujus honoris capaces aliqui censebant, à Gelasio Papa Can. Sancta Romana Dist. 15. inter Apocryphos positi aliquam inde etiam erroris fuscipionem traxere. Videri potest cit. Author.

VI. *Doctrina secunda.* Ex Biblijs diversarum linguarum hodie solum Latina sunt authentica: cæteræ verò linguæ eatenus admittuntur, quatenus cum Latina editione concordant. Ita Catholici Doctores ob Auctoritatem Concilij Tridentini sola Biblia Latina approbantis Sess. 4. his verbis: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ DEI, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innorescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio (Latina scilicet) quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis Lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro Authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat vel præsumat.* Et infra: *Decernit & statuit, ut posthac Sac. Scriptura potissimum verò hæc ipsa vetus & vulgata editio quam emendatissimè imprimatur.*

VII. Quamvis enim nullus Author Canonici latine scripserit præter D. Marcum, ut de isto creditur, tamen dubium non est, quin statim initio nascentis Ecclesiæ Romanæ a multis Biblia in Latinum fuerint conversa. Una autem (incerti Authoris) ex omnibus versionibus primatum tenuit, quæ idcirco Itala seu Vulgata dicebatur, & vigeat quatuor primis sæculis usque ad S. Hieronymum, qui animadvertens, eam versionem non immediatè ex Hebræis fontibus, sed ex Græca Septuaginta Interpretum translatione desumptam, multisque mendis infectam esse, auctoritate Damasi Papæ novam versionem molitus est. Et quidem Vetus Testamentum totum ex Hebræo in Latinum transtulit excepto libro Sapientiæ; Ecclesiastico, Baruch, Machabæis, & Epistola Jeremiæ, ut ipse fatetur in fine de Scriptoribus Ecclesiasticis his verbis: *Vetus juxta Hebraicum transtuli.* Exceptos autem libros non transtulit, quia vel Canonicos non putavit, ut Ecclesiasticum, vel Hebræos non juvenit, ut Sapientiam; sicuti significat præfat. in Proverb. etenim Librum Baruch ideo à se prætermisissimum discretè narrat in præfat. in Iremiam. Novum verò Testamentum ex Græco antea translatum multis in locis correxit, uti ipsemet lib. de viris illustrib. ait: *Novum Testamentum Græca Fidei reddidi &c.* Atque hoc opus adeo probatum est Ecclesiæ, ut paulatim relicta veteri Hieronymiana versionem acceptarit, excepto Psalterio ob hanc forsitan rationem, quia cum in Ecclesijs quotidie Psalmi juxta Septuaginta canerentur, illisque Fidelium aures assuevisent, durum ac violentum propemodum fuisset, inducere versionem S. Hieronymi. Quare ab eadem Ecclesia retenta fuit antiqua editio, prius tamen à Luciano Martyre emendata.

VIII. Hinc apparet ratio Doctrinæ allatæ; nimirum quia tota Latina Ecclesia jam per mille & amplius annos hæc unâ editione fuit usa, ideo per seipsam hæc Editio obtinuit auctoritatem atque approbationem à DEO; etenim hunc permisisse, ut Ecclesia hac in re tamdiu erraret, non est consentaneum ipsius Providentiæ ac promissis, præsertim quando pluribus annis non

fuit alia Ecclesia vera, quam Latina. Unde etiam sapienter sacrum Concilium nec tribuit S. Hieronymo hanc editionis authenticæ auctoritatem, nec ulli Translatore, cum tales non fuerint Prophetæ nec Apostoli aut Canonici Scriptores; sed, ut diximus, quia hæc Editio à tanto tempore, à tot Sanctis Patribus ac doctissimis viris examinata & cum Originalibus Sac. Scripturæ textibus collata, ita fuit integra & sincera inventa. Item quia ab universa Ecclesia per tot sæcula præ alijs ita fuit usurpata atque approbata, ut satis inde constaret, nihil in illa contineri contra Fidem Catholicam, bonos mores, & originales Sac. Scripturæ textus; Ideo, inquam, sacrum Concilium iudicavit & declaravit, hanc vulgatam editionem veluti veram & authenticam Sac. Scripturæ Editionem esse censendam ac retinendam. Quare audiendi non sunt, qui fas esse putant, vulgatam versionem Latinam, ubi etiam de genuina ejus lectione constat, ex Græco & Hebraico textu, siquandoque ab istis sentiat, corrigere, ut bene notavit Greg. de S. Tom. 3. Disput. 1. Quest. 1. punct. 7.

S. 42.

IX. Quod attinet ad cæteras linguas, & imprimis ad Hebraicam. Si textus Hebraicus eorum librorum, qui primum ab Authoribus hebraicè scripti sunt (ut pierique Vet. Testamenti, & nonnulli Novi, scil. Evangelium S. Matthæi, & Epistola ad Hebræos) incorruptus extaret, maximè utique foret Auctoritatis præ omnibus linguis; quippe primo-genius, & à Canonicis Scriptoris immediatè promanans. Verum quia multis locis depravatus est partim Librariorum vitio, partim Rabinorum insitiâ vel malitiâ, non est undequaque indubitata Fidei, ut rectè censet Card. Bellarminus lib. 2. de Verb. DEI. cap. 2. Nam Veteres Hebræi in sua scriptione solas consonantes sine vocalibus pingere consueverant, ut fere nos facimus in abbreviationibus. Deinde ex posterioribus Hebræis Massonerhæ Rabinorum Duces Anno Christi 436. ad Tiberiadem Palæstinæ tum ad minuendam difficultatem, tum etiam ne paulatim scientia linguæ Hebraicæ penitus interiret, quæ ipsi Majorum traditione & usu didicerant, ad artem revocare conati sunt, certis quibusdam punctis excogitatis, quæ ubique locum vocalium obtinerent; unde sensus Sac. Scripturæ facile potuit mutari, cum idem vocabulum cum alijs & alijs punctis diversa significet; & quia consonantes multum similes sunt, facile etiam una in alteram mutari potuit magnâ significationis varietate.

X. Chaldaica Lingua ex Hebraica & Syriaca in unum coaluit, Judæis in Babylonica captivitate nec suam vernaculam retinentibus, nec Syriacam perfecte addiscenibus, sed inter se miscentibus; unde tertia lingua orta est, quâ usi sunt iidem post captivitatem usque ad Christum, & deinceps, ac dicta fuit Syriaca vel Hebraica latè sumendo nomen linguæ hebraicæ. Hæc lingua Chaldaica seu Syriaca quidam libri Vet. Testamenti originaliter conscripti vulgantur, nimirum Daniel, Tobias, Judith, Esdras, saltem ex parte, de quibus idem tenendum, quod de Hebraicis ex communi Catholicorum Doctorum jam censuimus; nimirum si ejusmodi libri primum Chaldaicè scripti extarent puri, fore eos magnæ Auctoritatis; nunc verò propter varias corruptelas

temporis longinquitate & hominum improbitate intervenientes, illis tuto fidere, neminem possit prudentem.

XI. Cæteri liberi ex Hebræo vel Græco à tribus Judæis (Onchelos, Jonathan, & Joseph cæcus dicti fuerunt) longè post Christum in Chaldaicam linguam translari sub titulo Chaldaici Chargum (quæ vox interpretationem seu paraphrasin significat) nullius sunt auctoritatis, quia Thalmudistarum fabulis conspersi sunt, habent tamen aliquam Utilitatem ad convincendos Judæos, à quibus magni sunt, ad explicationem etiam sacri textus, cuiusque sententiam melius assequendam. In Biblijs Regijs extat etiam totius novi Testamenti Syriaca Interpretatio, præter epistolam secundam S. Petri, secundam & tertiam Joannis, epistolam Judæ & Apocalypsin; quæ ipsa tamen à Maronitis Romam fuisse allata, affirmat Serrarius in Prol. c. 15. q. 1. Auctorem hujus versionis putant aliqui esse S. Marcum. Sed hoc credibile non est; cum Evangelium & Apocalypsin S. Joannis post obitum D. Marci fuerint conscripta. Ista tamen inde habetur utilitas, quod nostram editionem vulgatam stabiliat, & confundat hæreticos mentionem faciendo de veneratione Sanctæ Crucis, de jejunio quadragesimali, de commemoratione Fidelium defunctorum, &c.

XII. De Græca lingua itidem sentiendum, ea, quæ originaliter Græcè scripta sunt (ut major pars novi testamenti) summæ auctoritatis fore, si purè extarent; nunc autem, quia multis locis depravata sunt, non merentur utique fidem. Inter cæteros libros, qui primum hebraicè vel chaldaicè conscripti, sed postea in Græcum translari fuerunt, distinguendæ sunt quatuor ejusmodi translationes. 1. est Aquilæ, qui verbum verbo. 2. Symmachi, qui sensum sensui reddere laboravit. 3. est Theodotionis, qui mediam viam tenuit. Horum trium Auctoritas vel nulla vel exigua est in ijs, quæ ad Christum vel Religionem Christianam spectant. Nam Aquila ex Gentili Christianus, & ex Christiano Judæus factus in odium Christianæ Religionis à se desertæ; quæ de Christo sunt, ex industria corrupit, aut obscuravit. Nec melior est Symmachi fides, qui ex Samaritano Judæus, iterumque circumciscus, tum ex Judæo Christianus, tandem ex Catholico hæreticus Ebionita factus est. Theodotion reliquis duobus scelere par post suscepta Christiana sacra Tatiani, Marcionis atque Ebionis hæreses amplexus est, tandemque profelytus factus ad Judæos transiit. In alijs, quæ ad Christianam Religionem non pertinent, Interpretes isti auctoritatem habuerunt apud Originem, Hieronymum & alios, præsertim Theodotion, ex cujus versione etiam Ecclesia olim totum legebat Danielem, atque etiamnum duo postrema capita cum hymno trium Puerorum & oratione antecedente cap. 3. legit.

XIII. Quarta versio Septuaginta Interpretum magnæ foret auctoritatis, si pervenisset ad nos incorrupta, cum præsertim non tam fuerint Interpretes, quam veluti Prophetæ divino spiritu inflati; unde Apostoli & Evangelistæ in citandis eâ usi sunt; & Ecclesia Græca semper: Universalis verò Catholica totis 400. annis pro Authentica & vulgata illam adhibuit, & etiamnum in Psalterio adhibet. Multi quoque Patres antiquo-

quiores eandem Commentarijs suis illustrarunt. Verum corrupta est nunc multis locis, quod aperte affirmat S. Hieronymus praefat. in lib. Paralip. quo tamen non obstante post nostram vulgatam prae alijs aestimatur; quia à varijs doctissimis viris iterum iterumque purgata, & demum industrià Antonij Carassæ S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarij ad synceritatem auctoritatemque reducta fuit, ut refert Spondanus ad Ann. Christi 183. n. 5. Enata autem fuit versio illa Sepruaginta Interpretum Ann. Mundi 3770. ante Christum annis circiter 280. ex hac occasione. Ptolomæus Philadelphus Aegypti Rex Bibliothecam Alexandri M. imitatione à Patre inceptam Demetrii Phalarei consilio acquisitis undique libris instruxit quasi Scientiarum gazophylacium, quam ducentis jam voluminum millibus repletam, ut Judaicis etiam libris ornaret, missâ legatione ad Eleazarum Pontificem impetravit ab eo Septuaginta duos peritissimos Judæos, qui apud Alexandriam in Insula Pharo separatis ab invicem cellulis singuli Opus græco idiomate elaborarunt (non quidem de Verbo ad Verbum, sed subinde paraphrasticè) ac postea factâ collatione nihil penitus reperti sunt inter se dissentientes scripsisse, ut merito SS. Patres unanimiter sentiant, id divino ac prophetico Spiritu afflante evenisse.

XIV. Fuerunt insuper duæ aliæ incertis Auctoribus versiones Græcæ, quas Antiqui non damnarunt ut parùm fideles minùsve synceras, sed harum fragmenta solum reliqua sunt, cum integræ perierint. Lucianus Martyr & Hefychius etiam ediderunt versiones, non tamen novas, sed emendarunt versionem, quæ erat Septuaginta Interpretum. Jam ex superioribus memoratis Editionibus coaluerunt Originis Tetrapla, Hexapla, & Octapla descriptis in eadem pagina per columellas quatuor vel pluribus interpretationibus & inter sese compositis, ut in quo discreperent, aut convenirent, facili comparatione agnoscere possent.

XV. Ex omnibus prædictis Versionibus vulgatæ Editionis auctoritas merito summa esse debet, ut respersa est juxta doctrinam nostram. Tum quia de eadem extat decretum Concilij Tridentini Sess. 4. supra cit. per quod declaratur Authentica, quod idem est, ac absolute & simpliciter fidelis ac sincera. Tum quia D. Hieronymus, ut linguarum peritissimus, ita divinas scripturas peritè: ut sanctissimus, ita illas fideliter & diligenter interpretatus est divino auxilio ad istud opus peculiariter adjutus. Unde D. Augustinus lib. 18. de Civit. DEI. cap. 43. scribit: *Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas convertit.* Et S. Isidorus lib. 6. Etymol. c. 5. similiter ait: *Hieronymus trium linguarum peritissimus ex Hebræo in Latinum eloquium divinas scripturas convertit, cujus interpretatio merito cæteris antepositur.*

XVI. Doctrina tertia. Vulgata Editio Latina, licet pro authentica ab omnibus habenda sit, utpote quoad fieri potest, pura & emendata, nondum tamen ita ab omnibus mendis purgata est, ut adhuc emendari nequeat. Ita Cardinal. Bellarminus lib. 2. de Verbo DEI. cap. 11. Jacobus Gretserus, Adamus Conzen, Nicolaus Serrarius,

Melehor Canus, Adamus Tanner Tom. 3. D. 1. de Fide. Q. 5. n. 79. Bernardinus Verweis in Speculo veræ Ecclesiæ lib. 2. c. 6. art. 4. & plerique alij. Probatur 1. ex Præfatione justæ Pontificis Biblijs præfixa, & teste Baronio Tom. 3. composita à Bellarmino, quæ haud obscure indicat, adhuc quædam menda in illis latere. Nam 1. dicitur, pro humana imbecillitate difficulter affirmari posse, hanc editionem omnibus numeris absolutam esse. 2. aliqua, quæ mutanda videbantur, consultò relicta esse ad offensionem populorum vitandam. 3. Correctoribus Bibliorum à Papa designatis (inter quos præcipui dicuntur Cardinal. Carassæ & Bellarminus) non fuisse propositum corrigere antiquum Interpretem, sed tantum Librariorum & Correctorum vitia tollere. 4. non prohiberi, quin adhuc variæ lectiones annotentur, modo non in contextu, nec ad marginem ponantur. 5. sæpius iterari eam clausulam: *quantà fieri potuit diligentia, vel quoad fieri potuit, castigatam, restitutam &c.*

XVII. Probatur 2. auctoritate illorum Theologorum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, ejusque mentem utique melius scire potuerunt, uti Andreas Vega, Jacobus de Payva Andradius, Alphonsus Salmeron, Melchior Canus &c. & quibus primus testatur, Cardinalem S. Crucis, qui loco Summi Pontificis Concilio Tridentino præfuit, & adhuc durante Concilio in Papam fuit electus ac Marcellus II. vocatus, sibi dixisse, mentem Concilij non fuisse, ut approbaret omnia verba & syllabas latinæ editionis. Accedunt litteræ Legatorum Concilij ad Cardinalem Farnesium, quas refert Card. Sfortia Pallavicinus in genuina Concilij Tridentini Historia Lib. 6. c. 17. contra fabulosam Petri Soave Polano narrationem.

XVIII. Probatur 3. Si omnes voculæ ac Syllabæ Latinorum Bibliorum essent de fide, hoc fieret vel propter decretum Tridentini, vel propter decretum Papæ. Neutrum dici potest. Quia post Concilium Tridentinum justæ Pontificum hæc Biblia primùm correctæ sunt: & in Bullis Pontificum nihil tale reperitur, ut satis ostendunt hæc præfationis Biblicæ verba supra jam indicata: *Accipe igitur, Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente ex Vaticana Typographia Veterem & Vulgatam Sac. Script. Editionem, quantà fieri potuit diligentia castigatam, quam quidem, sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hunc usque diem prodierunt, emendatiorem puriorumque esse, minime dubitandam.*

XIX. Probatur 4. aliquot exempla apparentium errorum, quos doctissimi Interpretes in Biblijs correctis adhuc deprehenderunt v. g. 2. Reg. 4. v. 7. perperam repetitur cædes Isboeth à duobus latronibus perpetrata, quæ v. 6. jam erat expressa. Judith cap. 8. v. 2. dicitur filia Ruben, quod, inquit Tirinus ibid. mendum est; cerò enim constat ex initio cap. sequentis Juditham non Rubeni, sed Simeonis Patriarchæ filiam fuisse. Luc. 11. v. 36. legitur: *Si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens partem tenebrarum, erit lucidum totum;* ubi *κατακατα* esse, & idem ex eodem concludi videtur; hinc Joannes Maldonatus in cit. locum suspicatur, latinum Interpretem vitio græci codicis deceptum *ὅμοια* pro *ἰσμία* legisse, id est, Corpus pro Oculo. Joannis 1. v. 28. ponitur.

nitur *Bethania trans Jordanem*, cum tamen cis Jordanem prope Jerusalem fuerit; unde multa græca exemplaria pro Bethania legunt *Bethabara*, id est, domus transitus seu locus, in quo traicitur scilicet ultra Jordanem. Ibidem c. 5. v. 2. vocatur piscina Jerosolymitana Bethsaida, quæ est urbs ad mare Tiberiadis, ubi rectius legere videntur multa græca exemplaria & S. Hieronymus *Bethsaida*, id est, domus seu locus effusionis. Actor. 7. v. 15. dicitur Abraham sepulchrum emisse à filiis Sichem, qui tamen Genes. 23. v. 16. memoratur agrum emisse ab Ephron filio Seor. De quo videri potest Cornel. à Lapid. in cit. locum, ubi hos textus reconciliare nititur. Demum 2. ad Timoth. 4. v. 20. habetur: *Trophimum autem reliquit infirmum Mileti*. Ubi Cardinalis Baronius rationibus aliquot chronologicis adductus autumat ad annum Christi 59. legi oportere *Melite, &c.* Plura videri possunt apud Joan. Cabasturionem in notitia Conciliorum à fol. 493.

XX. Oppositum huic doctrinæ tenent Franciscus Turrianus 2. 2. Disp. 22. dub. 4. & nonnulli Theologi rati, minimas quasque voculas & particulas esse de fide. Nituntur his argumentis, quæ suis singula subjunctis responsionibus statim dissolvemus. *Primum*. Omnes partes latinæ editionis sunt de fide. Sed omnes voces ac Syllabæ sunt illius partes. Ergo omnes sunt de fide. Majorem probant ex Tridentino Sess. 4. sic loquente: *Siquis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata editione habentur, pro sacris & Canonis non susceperit, anathema sit*. Min inde constat, quod Biblia corruptis diceretur, qui vel unam vocem eraderet, sæpe enim ex una littera totus sensus pendet. Respond. Concilium Tridentinum nomine patium non intellexisse minutas particulas, sed majores partes, nempe integros libros vel capita, quam Concilij expositionem esse genuinam, non solum citata auctoritas Pontificum & aliorum, qui Concilio interfuerunt & assederunt, comprobant, sed suadet etiam ratio; quia leges ex mente & intentione Legislatoris sunt interpretandæ. Atqui mens & propositum Concilij fuit, hoc decreto hæreticos damnare, qui integros libros vel capita ex Canone Scripturæ eraserunt. Quod nonnunquam ex una syllaba totus sensus pendeat, concedimus libenter. At verò non loquimur de perversa correctione & immutatione sensus legitimi & Catholici, sed de recta emendatione mendæ typographicæ & erroris mere accidentalis, probè gnari, vi prædicti decreti Tridentini statui, vulgatam Editionem esse sine erroribus spectantibus ad fidem & mores, ac sic nec in syllaba, nec in voce corrigi emendarique posse.

XXI. *Secundum*. Clemens VIII. in Bulla Biblijs præfixa vetat, ea ullo modo aliter imprimi, quam Romæ impressa sunt. Ergo supponit, nullum amplius mendum in ijs latere. Respon. negando consequentiam; causa enim, cur Pontifex vetuit aliter imprimi Biblia, quam Romæ impressa sunt, non fuit, quod existimet, impressionem Romanam omni prorsus mendo vacuam (id enim repugnat citatæ præfationi Bibliorum) sed quod voluerit, ne vetera jam emendata vitia redirent, aut plura & majora irrepererent, si cuilibet typographo libera potestas concederetur, aut veterem corruptam recedendi, vel novam à privatis hominibus correctam imprimendi, cum

videamus etiam stante hoc interdicto Pontificis Romanam editionem typographorum incuriã & inscientiã non sine mendis prodire, quantumcunque Episcopi, quibus ea cura incumbit & demandata est, invigilent; tanta est mortalium oculorum fallacia.

XXII. *Tertium*. In Præfatione Bibliorum dicitur: *in hac editione nihil non Canonicum, nihil adscriptum, nihil extraneum apponere visum est*. Ergo omnia sunt Canonica. Respon. particulam omnia non respicere omnia vocabula, sed omnes partes, ut jam supra exposuimus Tridentinum.

XXIII. *Quartum*. Congregatio Cardinalium, quos Papa dubijs Concilij Tridentini declarandis præfecit, hac super re consultata respondit, nihil admittendum esse, quod vulgatæ repugnet, nec syllabam, nec jota unum. Respon. Sententiam Cardinalium in rebus Fidei non esse majoris Auctoritatis, quam privatas Theologorum opiniones, cum Papa tantum commiserit illis decisionem dubiorum moralium, res autem fidei sibi reservaverit. Adhæc P. Serrarius in Prolog. Bibliæ. quæst. 11. arbitratur, hanc declarationem Cardinalium esse confictam, affirmans se manuscriptas eorum declarationes vidisse, & nihil horum in illis reperisse.

XXIV. *Quintum*. Si Biblia non penitus emendata sint, tum nihil conducunt ad fidem, quia ubique possumus timere, ne fortè mendum lateat, & sic nunquam erimus securi. Respon. negando sequelam Majoris. Nam duplicem certitudinem de correctis Biblijs habemus. Unam physicam & prorsus infallibilem, scilicet nihil esse in ijsdem contra fidem ab Ecclesia propositam, nec contra bonos mores; item non contineri fraudem vel apertam difformitatem (neque in minima parte trxtis) nec contradictionem &c. adeoque tuto sine periculo salutis legi possunt. Alteram moralem, nihil erroris suspicando, nisi occurrat specialis ratio dubitandi, quæ certitudo licet non sit prorsus infallibilis, nihil tamen nocet, imò sæpe ad fidem sufficit. Nam docent Theologi in materia de Fide Valent. Disp. 1. Q. 1. pun. 4. Turrianus D. 7. dub. 7. Granado Tr. 2. D. 3. Sect. 1. & 2. Amicus D. 3. Sect. 1. à num. 43. ubi adducit S. Augustin L. 6. Confess. c. 5. Conink Disp. 13. dub. 1. n. 8. Becanus cap. 2. n. 9. & cop. 11. q. 4. n. 4. Card. Lugo D. 5. n. 25. & 36. & prius D. 4. n. 84. atque alij plurimi, ad actum fidei sufficere, ut objectum credendum tanquam divinitus revelatum morali certitudine judicetur, modò à parte rei tale sit; aliter enim simplices & illiterati homines nunquam possent credere, quia non aliunde sciunt, articulos fidei sibi propositos esse divinitus revelatos, quam ex humana auctoritate Parentum, Præceptorum, Parochorum, &c. de quorum prudentia & fide nihil dubitant. Si igitur credam, quod in Biblijs lego, & morali certitudine authenticum judico, si id à parte rei tale sit, verum actum fidei eliciam: sin fallar, & à parte rei non sit tale, eliciam tantum fidem humanam; & hic error materialis nihil nocet.

XXV. Speciatim verò divisiones Capitum, & Interpunctiones versuum non esse de fide, docet Serrarius in Prolog. c. 20. quia divisio Capitum non est facta ab ipsismet Scripturibus Canonis, sed ab alio incerto Authore ante annos circiter 400. teste Jacobo Gualterio in Chronographia

graphia ad annum Christi 1200. Interpunctiones etiam à Recentioribus additas tradit Ruiz in Scientia Dei. Disp. 81. Sect. 2. num. 4. & Alvarez in c. 9. Isa. v. 3. unde adhuc de quibusdam interpunctionibus dubitatur v. g. Ioan. 1. v. 3. in illis verbis: *sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat &c.* nescitur, quò pertinent illa verba, *quod factum est*; An ad præcedentia, nihil quod factum est, sine ipso factum; & tunc postponendum punctum; An ad posteriora, quod factum est, in ipso vita erat; & tunc præponendum punctum, quod Ecclesia Romana noluit determinare, sed utrobique posuit comã, ut utrovis referri possent, quod D. D. iudicio reliquit. Videri potest Tirin, ubi pro utraque parte P. P. allegat, Versus etiam Numerorum non sunt admodum antiqui; etenim olim ad marginem tantum apponebantur litteræ Alphabeticæ A. B. &c.

XXVI. *Doctrina quarta.* Nulla versio ullius linguæ vulgaris: neque ulla Recentiorum Interpretum versio pro sacrã & authenticã habenda est; ita ut per omnia indubitatè credi possit ac debeat Sacri Scriptoris sensum assecuta. Ita communis Doctorum sententia supra jam insinuatã. Unde etiam ratio desumitur; quia nulla talis versio uspiam legitur ab Ecclesia ita approbata, uti ipsi etiam Adversarij apud Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 5. N. 84. fatentur, suos Interpretes absolute loquendo infallibilis auctoritatis non esse. Augustinus quoque L. 2. de Doct. Christiana cap. 12. & Epist. 8. ad Hieron. hoc sensu dixit, *Interpretes posse errare.* Nominatim in Biblijs Lutheri non pauci occurrunt errores & corruptelæ partim additione, partim detractiõne, partim commutatione verborum commissæ, quæ videri possunt apud Cochlæum de actis Luth. Anni 1522. & Hieronym. Enfer. de versione novi Testam. Lutheri, & alios. Sufficiat hic unicum illam fraudem adduxisse, quam commisit in Epist. ad Rom. C. 3. v. 23. ubi enim legitur: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis,* ipse in suis Biblijs impiè & sacrilegè contra omnium exemplarium fidem addidit particulam *solum*, de qua plura dicemus in Controv. de Justificatione. i. Ioan. 5. v. 7. omnino omittit præclarissimum de Sacrosancta Trinitate testimonium: *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum sunt &c.* Aliorum similium Interpretum, & interpretationum infidelitatem ac varietatem exosus ipsemet, Luth. Lib. contra Zwinglium de veritate Corporis Christi in Eucharistia sic scribit: *si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea fugiamus.* Videri possunt D. D. de Walenburch Tom. 1. in discussione Bibliorum vulgarium, ubi à pag. 713. Primò ordinem texunt errorum locorum SS. Scripturæ, in quibus errarunt Biblia vulgaria Lutheranorum, Germano-Calvinistarum, Gallo-Calvinistarum, Hollandorum, &c. Deinde insufficientiam ostendunt Bibliorum Acatholicorum & fidei in illis fundatæ. Denique docent, Sectarios provocare non posse vel ad textum Hebraicum vel ad Græcum tanquam originalem purum atque incorruptum.

XXVII. Non obstat allatæ doctrinæ vulgare illud Hæreticorum argumentum. Si versio vulgaris est bona & in forma probante, sequitur, ma-

las esse reliquas stultèque usurpari. Quia falsa est illatio. Nam si ejusdem libri unus interpret affirmatur fidelis, non hoc ipso alius statim infidelitatis condemnatur. Ex eo etiam, quod historia aliqua magni momenti ex latina in vernaculam linguam fideliter transferatur; ideòque habeatur authentica & sufficiens ad litem, quæ à principali ejus continentia dependet, decidendam, haud sequitur, fieri non posse aliam vulgarem interpretationem magis expressivam, propriam, & claram vel ex toto vel ex parte, unde resplendant multæ allusiones, & multa vivacitas Auctoris, quæ non ita resurgunt in altera; prius solum tribuitur versioni vulgaræ ex verbis Tridentini, quod scilicet sit fidelis ideòque authentica; ex quo aliæ Catholicorum versiones non prorsus rejiciuntur, tanquam malæ. Breviser cum D. D. à Walenburch loc. cit. fol. 683. non sequitur, ullam aliam versionem à Concilio esse damnatam vel improbatam: sed nullum aliud exemplar, nullam aliam versionem fuisse agnitam tanquam authenticam.

XXVIII. Unde etiam D. Hieron. quem Adversarij objiciunt, contrarius nobis non est, dum Lib. de opt. gen. Interpret. & Comment. in Prophet. & Ecclesiast. scribit, *quodam aliter fuisse vertenda, quam nunc in versione vulgaris leguntur.* Loquitur enim S. Pater de alia versione faciendã, non quoad res fidei ac morum, sed solum quoad verborum expressionem ac proprietatem. Si etiam in alio Ecclesia quodòque primam versionis lectionem retinuit, quam D. Hieron. mutandam censuit, plura illius, quam hujus faciendã est auctoritas, ut bene Bell. L. 2. de verbo DEI cap. 10.

Nonnulli quoque Scioli in versione nostra utriusque Testam. Solæcismos & barbarismos carpentes omninò curari non debent, quia in Sacris Litt. res ipsæ potius, quam verba spectandæ sunt, quippe melius est, inquit S. August. in Psal. 148. *Ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant Populi.* Taceo plerâque eorum, quæ imperitis solæcismi & barbarismi videntur, apud optimos latinæ linguæ Auctores fuisse usurpata, aut hebraismos, hellenismos, & similes tropos ac figuras æstimari debere. Videri potest Jacobus Gretserus Tom. 1. Defensionis Bellarm. L. 1. de Verbo DEI cap. 14. ubi etiam Sectariorum quorundam iudicio & censurã retundit Witthackeri, Junij, ac præcipuè Hunnij maledicentiam, qui vulgaram versionem Latinam tanquam barbaram ac solæcam non minus imprudenter, quam imperitè traducunt.

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETICORUM.

XXIX. **E**rror primus. Est omnium hæreticorum hujus temporis contra Canonem ab Ecclesia Romano-Catholica receptum, & supra à nobis allatum, quem oppugnant universim his ferè argumentis apud Amelium Tom. 1. à fol. 1. Molinæum à fol. 238. & Gerardum L. 2. Parte 1. à fol. 4. &c. 1. Quia Libri in eo Canonem comprehensi non fuerunt pro canonicis agniti à Judæis, quibus

quibus credita sunt eloquia DEI, ad Rom. 3. v. 2. 2. Quia Christus nec Judæos unquam reprehendit, quod illos Libros non reciperent, tanquam Verbum DEI: nec ipse & Apostoli iisdem usi fuerunt. 3. Quia Libri illius Canonis pertinent vel ad legem, vel ad Psalmos, vel ad Prophetam, in quæ membra Christus Luc. 24. v. 44. totum vetus Testamentum distinxit. 4. Quia privati Libri non sunt scripti ab aliquo propheta, sicuti tamen libri veteris Testam. ; unde S. Petrus 2. Epist. cap. 1. v. 20. totam veterem scripturam vocat prophetiam. 5. Quia non sunt scripti hebraicè vel chaldaicè, quæ erat tunc lingua vernacula Judæorum. 6. Quia illos ipsos libros nec pro Canonicis cognoverunt Patres aliqui antiqui Concilij Laodicensis, item Origines, Cyrill. Jerosol. Athan. Euseb. Epiphani. Hilarius, Amphilocheus, Hieron. &c.

XXX. Errorem hunc damnant omnia Concilia, omnes Pontifices, omnes PP. tam Græci quàm Latini, qui hac de causa illum Sacrorum Librorum Canonem conscripserunt, quem supra nos ad initium hujus Contov. adduximus; & planè majore autoritate & firmiori fundamento nititur, quàm ut allatis ratiunculis (quæ ferè omnes retorcionem patiuntur) vel levisimè concutiatur, ne dum evortatur. Refert etiam Overius Tom. 2. de scripti autoritate in Epiphani, Libros mox nominandos, quos hodie hæretici rejciunt, in vetustis Judæorum Concilijs in Canonem receptos fuisse. D. Augustino lib. 13. cont. Faustum jam olim de hoc Canone licuit dicere Manichæis: *Nostrorum librorum autoritas tot Gentium consensione per successores Apostolorum, Episcoporum, Conciliorumque roborata, vobis adversa.* Quanto id potiore nunc ratione obtendimus.

XXXI. Respond. Ad 1. Canonem, quem allegant heretici, non esse veterum, sed recentium Judæorum post Christum confectum. Antiquis Judæis fuit quidem Sac. Scriptura tradita juxta Apostolum, ut tanquam bonos & utiles libros posteris transmitterent, at tamen nescierunt, omnes esse Verbum Dei, sicuti sæpe Domini suis famulis sarcinas committunt, non indicando, quid intus lateat. Interim fatemur, libros Machabæorum in Canone Judaico non fuisse comprehensos, quia primùm conscripti sunt post illum Canonem ab Esdra confectum. Cæterum miror, Sectarios plus fidei adhibere Judæis, quàm Christianis, cum tamen istis multò clariùs promissus sit Spiritus S. quàm Synagogæ Judæorum. Taceo traditionem sic ab illis non evitari.

XXXII. Ad 2. propositum Christo non fuisse, eos Judæorum errores, qui saluti non obstabant, corrigere, poterant enim nihilominus salvari, etiam si hos libros pro Verbo DEI non agnoscerent. Taceo quod supra jam dixi ex Joan. 1. v. 22. non omnia Christi gesta, nec dum verba conscripta fuisse.

XXXIII. Ad 3. Christum non voluisse loco cit. assignare adæquatam Sacre Scripturæ divisionem, sed exempli causâ aliquos Libros proferre.

XXXIV. Ad 4. Nomen Prophetæ interdum sumi strictè pro eo, qui futura prænuñciat juxta etymologiam græcam, interdum latè pro eo, qui arcana divina denunciat etiam præterita, qui perpetrat miracula, qui cantu & musicis instrumentis laudat Deum, qui rerum spiritualium nori-

tiam habet. Si tali modo sumatur nomen prophetæ pro omni eo, qui ex singulari assistentia Dei aliquid extraordinarium dicit aut facit, conceditur omnium librorum Canonicorum Auctores fuisse prophetas: si strictè accipiatur pro prænuñtiji futurorum, negatur.

XXXV. Ad 5. licet prædicti Libri jam non extent, nisi græcè scripti, potuerunt nihilominus primitus scripti fuisse hebraicè vel chaldaicè & deinde in græcum translati, & juxta solam hanc translationem superesse. Non desunt etiam, qui affirmant, linguam græcam tempore Machabæorum Judæis fuisse familiariorem, quàm hebraicam vel chaldaicam.

XXXVI. Ad 6. Canonem nunc receptum nondum extitisse tempore illorum Patrum; erant quidem in manibus omnium varij libri tam veteris quàm novi Testamenti, sed prædicti PP. tantum sibi non sumebant, ut certi aliquid de ijs statuerent, sed Ecclesiæ judicium expectabant. Primus igitur, qui legitime definiit, quoniam libri ex ijs Canonici habendi essent, fuit Innocentius Papa circa annum Christi 402. ejus definitionem secutus est S. August. cum Episcopis Africa in Concil. Carthaginensi: Exuperius cum Episcopis Galliæ: Gelasius in Concilio Romano: totus denique orbis Christianus ad nostra usque tempora. Soli ferè Lutherani & Calvinistæ sine causa tergiversantur, & à communi consensu Patrum & Conciliorum ad paucos PP. qui ante definitionem Innocentij de hac re scripserunt, importunè provocant, sed frustra; Nam Patres illi, cum res nondum esset per Ecclesiam legitime declarata, poterant de quibusdam libris vel dubitare, vel aliter sentire. Nec mirum, quod Ecclesia non agnoscerit omnes libros Canonicos usque ad annum prædictum; quia Spiritus S. non omnia simul revelat, sed successivè magis & magis illam illuminat, atque ideo Cant. 6. v. 9. Auroræ confurgenti comparatur.

XXXVII. Dicunt Sectarij, S. Hieronymum Concilio Chalcedon. superflitem scripsisse contra illud. Resp. id fecisse S. Patrem non ex sua, sed Judæorum sententia, ut testatur in Apologia ad Ruffinum.

XXXVIII. In specie ac nominatim ex eodem Ecclesiastico S. Scripturæ Canone prædicti Hæretici rejciunt. Primò. *Tobiam.* Tum quia Innocentius I. Papa hunc Librum Canonis Ecclesiastico non inserit, sed præterit. Tum quia cap. 3. v. 7. dicitur, Saram habitasse in Rages, cum habitaculum hujus longè distitum fuerit ab hac civitate, ut constat ex cap. 9. v. 3. Tum quia c. 6. v. 8. Raphaël hepaticus piscis vim tribuit ejiciendi dæmones, contra illud Christi Marth. 17. v. 20. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Tum quia cap. 5. v. 18. Raphaël Angelus affirmat, se esse Azariam Ananiæ filium, quod non est verum. Respon. ad primum. Librum Tobie ab omnibus ferè PP. qui S. Hieronymo posteriores sunt, pro canonico fuisse habitum. & à mille ducentis jam annis varios Pontifices & Concilia pro tali Canonico Libro declarasse, idque nominatim fecisse Innocentium I. in Epist. ad Exuperium; unde merissimum figmentum est, quod Gerhardus fol. 43. in oppositum assert, quasi Librum istum Canonis Ecclesiastico non inseruisset. Ad secundum. Rages sumi bisariè, tum pro urbe, tum pro toto tractu, sicuti

sicuti hodie in Germania Salisburgum accipitur tum pro ipsa Residentia Archiepiscopi, tum pro tota illius Provincia. Hebraea & graeca Exemplaria pro Rages habent hic in *Ecbathenis*, ubi erat Regia sedes Medorum. Ad tertium, nec cor piscis, nec orationem & jejunium naturam suam expellere daemones, sed ut instrumenta à Deo assumpta pro diversis temporibus; sicuti ergo Deus tempore Tobiae voluit uti corde piscis, sic à tempore Apostolorum oratione & jejunio. Ita fere Tirinus, cujus opinioni favet Scriptura cap. 8. v. 3. expulsiōnem daemōnis magis Raphaēli, quam hepatis piscis ascribens. Ad 4. Angelum non fuisse mentitum, sed aequivocasse; etenim Azarias significat adjutorium DEI: Ananias vero nubem Domini, seu Dominum nube tectum. Raphaēl igitur indicare vult, se esse filium Dei missum in auxilium Tobiae, quod erat verum.

XXXIX. Secundò. *Librum Judith*. Tum quia tota ista historia ex Chronologia convincitur esse conficta. Tum quia Judith tanquam piissima femina laudatur, cum mendacia aperta obruserit Assyrijs; nempe scire se, Judaeos in manus Assyriorum venturos, Holoferni se monstraturam aditum ad Urbem capiendam &c. Tum quia eadem mulier Cap. 9. v. 2. laudat homicidium Simeonis Genes. 49. v. 5. perpetratum. Respondetur ad primum. Historiam hanc accidisse non post celebrem illam septuagenariam captivitatem tempore Joachim & Sedeciae, sed post aliam priorem & minorem anno circiter decimo Manassis Regis, ut cum multis Auctoribus probat Tirinus in Cronico Cap. 33. Quare negatur, historiam illam fuisse confictam. Ad secundum, velle quidem aliquos Catholicos, Juditham officiosè & in bonum Patriae fuisse mentitam, sed hoc negant cum D. Augustino plerique alij asserentes, illam prudenter usam fuisse aequivocatione ad fallendum hostem; nam scivit viam naturali & ordinaria, Judaeos tradendos Assyrijs, nisi Deus extraordinarie succurrat. Ostendit quoque Holoferni urbis aditum, imò per mediam introduxit, cum caput ejus à cervice resectum triumphabunda intulit. Simeonem non laudatum fuisse à Juditha, sed Deum, qui permittendo hanc eadem offendit, se vindicem castitatis. Videri potest Tirin, in Genes. cap. 34. Ceterum ex eo quod Bellarm. L. 1. de Verbo DEI cap. 10. hunc librum Judith à Synodo Nicena approbatum asserat, ineptissime infert Gerhardus fol. 64. judicio Bellarmini mendacium approbari; est enim perinde, ac si dicerem: Lutherani affirmant Evangelium S. Matthaei fuisse à Prima Ecclesia approbatum. Ergo judicio Lutheranorum approbati traditionem, condemnationem, & crucifixionem Christi ab impijs hominibus factam.

XL. Tertio. Reijciunt haeretici *septem ultima Capita Estheris*. Tum quia non extant in hebraeo. Tum quia eadem frustra repetunt, quae in superioribus capitibus dicta fuerunt. Tum quia falso asserunt. Aman Macedonem occiso Rege Persarum regnum ad Macedonas transferre voluisse; qui enim fieri id potuisset ab unico homine inferni? Tum quia quaedam in ijs apparent contradictoria. Respond. ad primum. Licet jam graece extent; fuisse tamen primitus hebraice conscripta, ut colligitur ex Josepho, qui cum L. 10. Antiquitatum c. 22. protestatus fuisset, se tantum hebraica volumina in Graecum transla-

turum, Lib. 11. c. 6. epistolas Asueri in illis capitibus comprehensas recenter. Fertur etiam Bononiae, in Caenobio PP. Augustinianorum asservari membranam more prisco involutam, ubi haec Capita hebraice scripta reperiuntur. Ad secundum, videri illa esse alterius Auctoris, quam priora; unde non mirum, si eadem repetuntur cum etiam Evangelistae saepe ab alijs dicta repetant. Ad Tertium, Aman habuisse conspirationem clandestinam cum Macedonibus, & eorum expectasse auxilium.

Instat Molinaeus in suo novo Papatu fol. 240. Amanem non fuisse Macedonium, sed Agagianum. Sed potuit bene origine & remote fuisse Agagianus; natione vero & proxime Macedonianus; probat enim Serrarius in Caput. 3. Ester. Macedonianos fuisse ortos ex Regione Amalecitarum, quorum Rex fuit Agag.

Ad quartum, Contradictionibus occurri cum distinctione temporum; quam temporum & rerum gestarum seriem, quae in hoc libello turbata videtur, citatus Auctor in pulchrum ordinem redegit. Ceterum Lutherus totum Librum Esther ex Canone excludit. Libro de seruo Arbitr. contra Erasmus Tom. 2. Wittenbergico fol. 474. quantumvis fateatur, eundem in Canone Judaeorum extitisse: *Esther Libellum*, inquit, in Canone Judaei habent, digniorem omnibus, me iudice, qui extra Canonem habeantur; ipsemet dignior; cujus nomen è memoria hominum tollatur.

XLI. Quarto. *Librum Sapientiae*, quia falso tribuitur Salomoni, quem ejus Auctorem non fuisse etiam nonnulli Catholici cum S. Hieron. fatentur. Resp. velle quidem nonnullos, Librum hunc adscribi solum Salomoni, quod alius quispian ejus sapienter dicta collegerit, probabilius tamen videri, ipsummet Salomonem Authorem & Scriptorem esse; etenim cap. 9. v. 7. ait: *Tu elegisti me Regem populo tuo, & dixisti ad me, edificare Templum Nomini Sancto tuo.* Atque ita sentiunt plerimi PP. ad initium hujus Libri à Tirino citati, è quibus Ilidorus lib. 1. de Offic. Ecclesiasticis asserit, *praedictum librum olim Judaeos pro Canonico habuisse, sed post Christi necem cum viderent scelus suum in Christo crucifigenda commissum capite 2. illius Libri tam aperte depictum, ex canone rescussisse.* Sanctus Hieronymus non ex sua, sed aliorum mente Philonem Alexandrinum hujus Libri Auctorem assignavit.

XLII. Quintò *Ecclesiasticum*. quia cap. 36. absurdam historiam Samuelis per incantationes mulieris evocati narrat. Respon. Dei virtute Samuellem adductum fuisse non in favorem magiae, sed in odium Saulis, ut exitium sibi imminens intelligeret. Videri potest Tirin. in primum Regum cap. 28.

XLIII. Sextò *Prophetiam Baruch*. quia antiqui PP. ejus non meminerunt. Respon. Patres illum nomine Jeremiae comprehensisse, ut videre est apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Pædagogici cap. 10. Ambr. lib. 1. de Pœnitentia cap. 8. & lib. 3. Hexaem. cap. 14. Basilium, lib. 4. Contra Eunom. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 33. &c. quod quia non advertit Joan. Driedo, Librum hunc itidem ex Can. exclusit, nondum perspecto decreto Concil. Trident.

XLIV. Septimò. *Damelem Prophetam mutilant tribus Capitibus; scilicet decimò tertio*, quia Chronologia non cohaeret; *decimò quarto*, quia sexto Capiti

piti contrariatur: & aliqua parte Capitis 3. Nituntur auctoritate D. Hieron. in præfatione ad Danielelem, ubi fabulas vocat. Respon. ad 1. Historiam Susanne non accidisse sub Cyro, sed multò ante sub quartum annum à migratione Judæorum in Babilonem, cum Daniel esset adhuc junior; unde per saltum transitur ad aliam historiam gestam multò post Cyrum, qui Danielelem utpote jam senem nunquam vocavit puerum. Videri possunt Cornel. à Lapide, Tirinus & alij. Ad 2. nullam esse repugnantiam, quia de diversis rebus loquuntur; siquidem Daniel bis fuit in lacum leonum coniectus; prius unà: postmodum sex noctibus. Ad 3. fuisse in hebræo, ut fat innuunt ipse stylus græcus & latinus, qui hebraïsmum sapiunt. S. Hieronymus nihil huic rei præjudicat; fabula quippe ipsi non est res ficta vel falsa, sed quæ fando passim usurpatur; neque loquitur ex animi sui sententia, sed Judæorum quorundam opinione; ut ipsemet se explicat Apolog. 2. Contra Ruffinum fabulas vocans non fabulas. Videri potest Sallianus in historia Susannæ.

XLV. Octavo. Reijciunt hæretici *Libros Machabeorum*. Tum quia isti in Canone Judæorum non extant. Tum quia Lib. 1. cap. 15. v. 16. affirmant; uni commissum fuisse regimen Romæ, cum constet ex historicis, duos semper fuisse Consules. Tum quia discordant circa mortem Regis Antiochi. Tum quia similem discordiam habent circa tempus Judæ Machabæi. Tum quia Lib. 2. cap. 14. v. 42. laudatur Razias sui interfectore. Respon. ad 1. Licet Judæi Machabeorum Libros non habeant pro Canonicis; Ecclesiam tamen DEI pro talibus habere, ut ait S. August. lib. 2. contra Epist. Gaudentij cap. 23. quæ Ecclesia non habet minorem potestatem declarandi Libros Canonicos, quam olim habuerit Synagoga. Ad 2. Sermonem esse aut de Magistratu actu imperante, qui semper unius fuit apud Romanos; etenim duo Consules alternis vicibus imperabant; quilibet uno semesti, ut etiamnum in aliquibus Civitatibus mos viger: aut forsan de Dictatore, qui semper unicus fuit. Ad 3. duos fuisse Antiochos; unus vocabatur Epiphanes partim mærore, partim lapsu, partim vicerum dolore extinctus; alter dicebatur Demetrij magni filius frustillatim dissectus. Ad 4. similiter duos fuisse Judas; unus erat Machabæus Anno 152. mortuus; alter secundo Machab. cap. 1. v. 10. dicitur Epistolam exarasse anno 186. Regi Græcorum, à Seleuco sumpto numerandi exordio. Ad 5. Raziam fecisse forsan vel ex ignorantia invincibili, vel Dei instinctu, qui cum Dominus vitæ & mortis sit; facultatem occidendi semet concedere potest. Addo Raziam laudari non simpliciter, sed solum secundum quid tanquam generosum vitæ contemptorem. Videri potest S. August. loco cit. & Serrarius in Libros Machab. fol. 717. & sequenti. Atque hæc de veteri Testamento.

XLVI. Nonò Sæctarij reijciunt ex novo Testamento *Epistolam ad Hebræos*. Ita olim Marcion & Arius, quos ex novis Secutus est Lutherus in Prologo Epistolæ ad Hebræos, & nonnulli apud Bellarm. L. 1. de Verbo Dei cap. 17. Probant suam opinionem. Tum quia stylus cæteris D. Pauli Epistolis non responderet. Tum quia cap. 6. v. 4. negat penitentibus veniam. Tum quia contradicit alijs ejusdem Apostoli Epistolis. Nam

cap. 2. v. 3. ait: Paulum didicisse fidem ab hominibus, quod negat ad Galatas cap. 1. v. 12. Tum quia cap. 9. v. 4. dicit, urnam mannae & virgam fuisse positas in arca, cum ex 3. Reg. c. 8. v. 9. constet, solas tabulas fuisse. Verum Epistolam ad Hebræos esse D. Pauli, definit Concil. Carthag. 3. Can. 47. Laodicense Can. 59. Florentin. in Insit. Armenorum. Trident. Sess. 6. Accedit communis PP. Græcorum ac Latinorum consensus apud Bellarm. loc. cit. Sed & Petrus idem insinuat 2. Petri 3. v. 15. cum ad eosdem Hebræos per Asiam dispersos ait: *Charissimus noster Paulus scripsit vobis*. At quam Epistolam scripsit Hebræis Paulus, si non istam? Respon. ad 1. non esse mirum; etenim priores græcè ista hebraicè fuit scripta; linguæ autem diversæ stylum ac dicendi genus habent diversum. Ad 2. Tô impossibile sumi pro valde difficili, & quasi moraliter impossibili; etenim apostatæ à fide, de quibus ibi agitur, diffillimè convertuntur, ut experientia docet. Ad 3. Paulum ad Galatas loqui in propria persona; ad Hebræos verò more concionatorum in communi Fidelium persona. Ad 4. præpositionem in sumi pro juxta, sicuti Christus scribitur in Jerusalem passus, idest, juxta Jerusalem. Quare erant quidem in arca solæ tabulæ Moysis, at juxta illam urna mannae, & virga Moysis. Videri potest Tirin. in cit. Locum.

XLVII. Decimò *Epistolam S. Jacobi*; quam Lutherus in Prologo *Stramencam aridam & Apostolo indignam vocat*; quia, inquit Sæctarij, tota est in commendandis operibus bonis, & fide deprimenda, quam Paulus adeo extulit. Respon. Jacobum non adversari Paulo, sed ejus dicta de fide (ab impijs malè intellecta, quasi sola fides ad justificationem & salutem sufficeret) explicare; nempe quod fides sit quidem origo Justitiæ, sed sola sine operibus non sufficiat, ut ostendimus in Controv. de Justificatione.

XLVIII. Undecimò denique reijciunt hæretici *Epistolam Judæ*, quia v. 14. allegat Lib. Enoch, quam ipse Gelasius Papa cap. 13. Dist. 15. apocryphis annumerat. Respon. Judam non allegare librum Enoch, sed verba ista: *Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes &c.* veluti geminam genuinam selegisse, vaticinium scilicet de extremo judicio & penis futuri sæculi; quod intellexerat sive ex traditione, sive ex authentico Libro, qui tumi extrahat; quamvis posterioribus sæculis multæ fabulæ illi fuerint adjectæ, ut viderè est ex ijs, quas citant Tertullianus. Irenæus. August. Hieronymus & alij; ut merito tanquam corruptum rejecerit Gelasius Papa.

XLIX. Plura videri possunt apud Card. Bellarm. Lib. 1. de Verbo DEI. Genebrar. lib. 2. chronologiae Serrarium in Prologum: Bibliæ cap. 8. & alios. Pro coronide duo adjicij. Primum. Causam unicam esse, cur hæretici præfatos Libros reijciant, quod bona opera in ijs commenduntur, cura & oratio pro mortuis laudentur, atque universim prævis illorum dogmatibus oppositæ doctrinæ assentantur. Alterum. Inter antiquos & recentiores Lutheranos & Calvinianos non convenire; aliqui enim libri ab his tanquam Canonici recipiuntur; qui ab illis reijciuntur. Sic Antiquiores Lutherani è canone etiam Apocalypsin excluderunt cum Luthero præfatione in Apo-

Apocalypsin, ubi ait: *hunc librum nec Apostolicum, nec propheticum esse, sed similem 4to libro Esdrae &c. cui suus se Spiritus accomodare non possit*, quam tamen Apocalypsin hodie tam Lutherani quam Calviniani in Canonem recipiunt, & inde Romanum Pontificem esse antichristum contendunt.

L. *Error secundus est idem Modernorum hæreticorum, præsertim Calvinii in antidoto Concilij Trident. & Kemnitij in examine ejusdem Concilij Sess. 4. solam Hebraicam editionem, in Veteri Testamento: in Novo solam Græcam pro canonica habendam esse, prout scilicet libri ab ipsis Authoribus primùm conscripti fuerunt. Fundant se in autoritate SS. PP. Hieron. & Augusti. Prior horum in cap. 6. Isaïæ scribit: Si quis dicat, corruptos esse codices hebraeos, cachinnum tenere non poterit. Posterior verò lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. ait: nullus prudens dicere debet corruptos esse codices hebraeos. Et Epist. ad S. Hieron. prout referur in Jure Canon. Cap. 6. Dist. 9. ait: ut veterum librorum fides de hebraicis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas græci sermonis normam desiderat.* Verùm sic hæretici in suis Ecclesijs nunquam legunt authenticum DEI Verbum; multis etiam argumentis suis contra Catholicos adimunt vim.

LI. Respon. Testimonia istorum PP. non servire præsentì tempori, cum mutatio utique intra mille ducentos annos, quibus Hieronymus & Augustinus nos antecesserunt, potuerit magna textus hebraici accidere, præsertim nondum inventâ arte typographicâ, quam Argentina Anno 1440. excogitavit Joannes Guttenbergius; juxta alios Moguntia Anno 1452. Joannes Faustius; & sic per innumeras scriptorum manus transire debuit magnâ facilitate errorum. Addo, quando dicitur textum Græcum & Hebraicum esse normam Latini, potius de sensu, quam de vocabulis intelligendum; fatemur enim collationem textus latini cum Græco & Hebraico non solum utilem, sed prope necessarium esse ad veri sensus indagacionem; etenim textus Latinus, quantum fieri potest, cum Græco & Hebraico conciliandus est, ac cæteris paribus ille sensus præferendus, qui ad fontem Hebraicum & Græcum magis accedit, ut passim faciunt Catholici Interpretes in suis commentarijs, quantumvis enim alicubi corruptus sit textus Hebraicus vel Græcus, nequaquam tamen temere dicendum, hic & illic corruptum esse, nisi necessitas urgeat; at verò nulla urget necessitas, quando conciliari cum Latino potest. Videantur DD. à Walenburgh supra citati maximè à fol. 716.

LII. Urget Petrus Soave Polanus existimans Editionem Vulgatam non esse Verbum DEI; probat id autoritate Cajetani qui in commentarijs in Scripturam hoc effatum habet: *Intelligere textum Latinum non est intelligere Verbum DEI, quod errare non potest*: At verò vox Interpretis est erroris obnoxia. Respon. negando Edicionem vulgatam non esse Verbum Dei. Nam, cum Deus voluerit, ut scriptura esset veritatis norma infallibilis non paucis duntaxat, sed universæ Ecclesiæ, non potuit restringi Scriptura Authentica ad duas linguas, quarum intelligentia in gradu excellenti (id est, qui fit sciat ad bene judicandum) fuit jam à conversione mundi usque huc in paucissimis. Quare oportuit, scripturam in una lingua pluribus nota verti & tradi, atque interpretationem ita à Deo dirigi, ut in nullo puncto sub-

stantiali fidem ac mores concernente erraret; qualem versionem D. Hieronymo vel Auctore, vel ut alij malunt, Emendatore Romana Ecclesia agnoscit vulgatam; & illam, quâ talem, per Concilium Trid. omnibus ita proponit tenendam, ut nulli fas sit, dubitare, quin intelligere illius textum latinum sit intelligere Verbum DEI.

LIII. Unde argumentum Adversariorum validissimè retorqueo: Quicumque non fundat fidem suam in versione aliqua approbata per instinctum Spiritus Sancti, non fundat eam in versione sufficienti ad articulum fidei. Sed Sectarij omnes Lutherani Calvinistæ &c. non fundant fidem suam in versione aliqua approbata per instinctum Spiritus Sancti. Ergo non fundant fidem suam in versione sufficienti ad articulum fidei. Maj. & Min. est Adversariorum; quemadmodum enim isti nihil ad fidem volunt, nisi Verbum DEI infallibile, ita se fatentur in versione sua fallibiles, hocipso quod se corrigi, sibiq; ignosci velint, si in versione erraverint, Conclusio est legitima.

LIV. Cæterùm Cajetanus, utq; in alijs suis Operibus sit admirandus, in Commentarijs tamen in Scripturam non est curandus, ubi à Doctore grammaticæ, quàm mysteriorum divinarum peritiore seduci se permittit.



CONTROVERSIA V.

DE SENSU SACRÆ Scripturæ,

DUO hic controversantur. Primum, Quotuplex sit sensus Sac. Scripturæ? Alterum. An sensus Literalis sit clarus, & à quolibet facile intelligibilis? Utrumque unâ hâc controversiâ complectemur,



PARS PRIOR

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. **Doctrina Prima.** Sensus Scripturæ genericus est duplex Verus, & Accommodatius; Ille est, quem DEUS intendit; Ille verò, quem homines præter DEI mentem ad res aliquo modo similes accommodant. Sic quod de Noë dicitur Ecclesiastici cap. 44. v. 17. *inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Ecclesia omnibus Confessoribus accommodat. Atque hoc sensu pulcherrimè ac convenientissimè usus est S. Bernardus, quantumvis firmum inde argumentum ad probandum duci non possit.

II. **Doctrina Secunda.** Verus & à DEO intentus sensus rursus est duplex. Literalis, & Mysticus. Sensus Literalis seu Historicus est ille, quem verba sive propriè sive metaphoricè accepta significant ex Spiritus S. loquentis intentione primò atque immediatè. Dixi metaphoricè; quia si metaphorâ aut alio tropo sensus aliquis exprimitur,

tur, non facit, quo minùs sensus ille sit litteralis. Exemplum hujus habetur Matth. 16. v. 11. ubi Christus ait: *Cavete à fermento pharisæorum.* Id quod idem est, remotâ metaphora, ac cavete à doctrina pharisæorum. Dixi ex Spiritùs S. loquentis intentione; quia ex ea pender, ut verba vel propriè sumantur, vel metaphoricè; ut si quis dicat: leo rugiens circuit, ambiguum est, simpliciterne, & ut verba sonant, an verò tropicè intelligenda sint de leone animali, an de dæmone? Iste sensus litteralis in omni loco scripturæ reperitur, & interdum plures, ut cum S. Thom. 1. Parte Q. 1. A. 10. ad 1. & ad 3. communiter docent Theologi.

III. Ratio prioris est; quia nullus locus est Scripturæ, in quo non ipsa etiam verba aliquid immediatè significant; quandoquidem nec mediatè quidem aliquid significare possent, nisi mediante re illâ, quam immediatè significant. Accedit, quod sensus Spiritualis nitatur sensu litterali. Ratio posterioris est, tum sæcunditas S. Scripturæ, tum quod in signis ab hominibus institutis eadem res duo simul indicare potest; etenim sono campanæ v. g. datur signû ad evitandû incendium, & ad evitandum tumultum seu seditionem populi. Sic Joan. 11. v. 49. Caiphas sensu politico impio & falso dixit: *Expedi vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat,* qui tamen ab Evangelistâ dicitur prophetasse, quia illius voce Spiritus S. bonum sensum expressit. Pari ratione illud Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu.* & Isaïæ 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit,* rectè tam de generatione Christi æterna, quam temporali exponitur: ut & prior locus etiam de Christi Resurrectione à S. Paulo Actorum 13. v. 32.

IV. Sensus Mysticus est, qui non proximè per voces, sed mediatè & remotè mediantibus scilicet rebus per voces sensu litterali significatis à Spiritu S. indicatur v. g. in Deutr. cap. 52. v. 4. præcipitur: *non alligabis os bovi trituranti,* sensus litteralis est is, quem verba sonant: mysticus est, qui supposito sensu litterali ex eo & rebus per ipsum significatis ulterius à Spiritu S. intenditur, hoc est, ut explicat D. Paulus, ad Corinth. 9. Doctoribus & Concionatoribus honestum vitæ suppeditandum. Porro sensus iste mysticus est triplex Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus: sicuti enim tres sunt virtutes Theologicæ fides spes Charitas, ita tres sunt sensus mystici Allegoricus respondet fidei, Anagogicus spei, Tropologicus charitati. Nam Allegoricus dicitur, qui aliquid fidei mysterium declarat. Tropologicus seu Moralis, qui mores instruit. Anagogicus qui alterius vitæ statum respicit, quos omnes Lyranus his versibus complexus est.

*Littera gesta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas: quò tendas Anagogia.*

V. Quorum omnium exemplum nobis præbuit S. Paulus Apostolus ad Gal. 4. agens de duobus filiis Abraham Isaïc & Ismaële. Nam v. 22. dicit: *Abraham duos habuit filios unum de ancilla, alterum de libera,* qui est sensus litteralis & historicus. v. 24. subdit sensum allegoricum, *que sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta,* scilicet Vetus est Novum, prius servile, posterius liberum. v. 29. transit ad Tropologiam de sufferendis persecutionibus Judæorum; *quomodo is,*

qui secundum carnem natus fuerat (scilicet Ismaël naturali modo genitus) *persequetur eum, qui secundum Spiritum* (scilicet Isaicum miraculose genitum) *ita nunc,* id est, Judæi carnales persequuntur Christianos Spirituales. v. 26. insinuat etiam sensum Anagogicum, mentem ad Cælum elevando: *illa autem, que superius est Jerusalem, libera est, qua est mater nostra.* Dixi quod insinuet; quia propriè non est sensus Anagogicus, sed Allegoricus, cum per cælestem Jerusalem non intellexerit Ecclesiam in cælo triumphantem, sed in terra adhuc militantem, ut docent DD. & Interpretes. Proprium sensum Anagogicum dat David Psal. 94. v. 11. dicendo: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam;* juxta litteram intelligitur de terra promissionis in Palestinâs at anagogicè de vita æterna, ubi vera est requies, ad Hebræos 4. v. 3. Hinc clarè apparet, sensum Mysticum istis verbis juxta humanam institutionem & usum acceptis mediatè non significari, sed ipsis verbis significatis ex DEI ordinatione præfigurari; neque enim hæc vocabula Isaïc & Ismaël verbo tenus significabant duo testamenta.

VI. *Doctrina tertia.* Ad assequendum Sac. Script. sensum litteralem, sequentia juvant. Primum est. Ecclesiæ declaratio, quæ indubitanter amplectenda juxta Trid. Sess. 4. ubi ait, *Sacro-sancta Synodus ad coercenda perulantia ingenia decrevit, ut nemo sua prudentia inmixtus in rebus fidei & morum ad adificationem doctrinæ Christianæ pertinentium Sacram Scripturam ad suos sensus detorquens contra eum sensum, quem semper tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimum sensum Patrum ipsam Scripturam S. interpretari audeat.*

VII. *Secundum.* Interpretatio Patrum; qui, si omnes consentiant in alicujus loci explicatione vel formaliter idem dicendo, vel virtualiter saltem pluribus affirmantibus, & nemine contradicente, indubitatè inhaerendum eorum sententiæ, tanquam à Spiritu S. suggestæ juxta citatam definitionem Tridentinâ; si verò inter se discrepent, vel tantum pauculi affirmant, non alligamur ad eorum expositionem.

VIII. *Tertium.* Expositio Commentariorum, & si quidem hæc satisfaciunt, in illa, quiescendum: si verò non satisfaciunt, ulterius investigandum, quisnam sensus lateat, quod illis tantum convenit, qui sufficienti doctrinâ Theologiæ & peritiâ linguarum instructi sunt.

IX. *Quartum.* Indagatio sensû sic instituenda. 1. Præmittenda oratio ad Deum, ut mentem illuminare dignetur. 2. Singula verba diligenter consideranda, & quantum fieri potest, propriè intelligenda. 3. Textus Græcus & Hebraicus inspiciendus. 4. Scopus Auctoris, & antecedentia ac consequentia perpendenda. 5. Alia loca eadem de re agentia conferenda. Quod si hoc modo novus sensus eruatur, non statim is pro ipsa veritate asserendus, sed Ecclesiæ judicio humiliter subijciendus, ut hodie plerisque Auctores in suis commentarijs facere videmus.

X. Adverterunt viri docti juxta quatuor allos Sac. Scripturæ sensus 4. esse Doctores Ecclesiæ, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, & Gregorium, & singulos singulis excelluisse, Hieronymum in Litterali, Ambrosium in Allegorico

gorico, Augustinum in Anagogica, Gregorium in Morali.

XI. *Doctrina quarta.* Non tantum sensus Literalis, sed etiam Spiritus & Mysticus præbet argumentum efficax. Ita cum S. Thoma art. 10. cit. communiter Catholici DD. Ratio prioris est, quia iste sensus à Spiritu Sancto per verba intenditur, ideoque falsum ei subesse non potest. Ergo non potest non præbere argumentum si missimum; quod tamen intellige, si Sacer Auctor aliquid ex mente sua asserat; etenim si quid referat pronuntiarum solum ab alijs v. g. illud à Judæis dictum contra Christum: *reus est mortis, item: nomine benediximus, quia samaritanus es tu, & demonium habes &c.* & similia, dum referat solum Scriptor, non verò ex mente sua asserit, utique vera & infallibilia non sunt, quantumvis infallibiliter verum sit, quod Scriptor sacer affirmet, hæc ita dicta vel gesta fuisse &c.

XII. Ratio posterioris est, quia etiam hic sensus est à Spiritu S. intentus. Ergo ex se infallibilis est, adeoque etiam ad argumentandum efficax, si de eo constet. Exempla passim habemus in Scriptura; illud enim de Agno paschali dictum Exod. 12. v. 47. *Os illius non confringetis seu as non comminuetis ex eo*, mysticè per allegoriam ad Christum applicatur Joan. 19. v. 36. & illud Deutr. 15. v. 4. citato *non alligabis os bovi trituranti* ad operarios evangelicos, ad Corinth. 9. v. 9, ex quibus proinde locis efficax etiam argumentum ad fidei dogmata probanda efficere possumus. Constat autem, sensum mysticum esse verum, & à Spiritu S. intentum vel ex Scriptura Sacra, ut de illo bove triturante de suppeditando Concionatoribus necessaria constat ex S. Paulo citato, vel ex Concilij vel ex consensu PP. & Ecclesiæ Doctoribus.

XIII. Comparando inter se istos sensus, Sensus Mysticus dignior est, si cum ejusdem loci sensu literalis conferatur; figuræ enim præstat figuratum; quod intellige de eo mystico sensu, quem Spiritus S. intendit. At si verò non de subordinatis sensibus per modum figuræ & figurati loquamur, sed absolute, tunc sensus literalis æque præstans esse potest, ac mysticus, cum de rebus præstantissimis esse queat, ut de Trinitate, Christi Passione, Resurrectione &c. imò absolute omnibus pensatis sensus literalis est mystico præferendus; tum quia de rebus æque præstantibus esse potest, tum quia in omnibus Scripturæ locis reperitur, tum demum quia certior & ad probandum utilior; supposito quod non constet, sensum mysticum esse verum & à Spiritu Sancto intentum; etenim si hoc constet, æque firmum argumentum ex sensu mystico peti potest ac ex literali.

Hactenus de varietate Sensuum Scripturæ, quibus solum breviter addo, nullum sensum Sacræ Scripturæ, quem Novatores contra doctrinam ac fidem Romano-Catholicæ Ecclesiæ afferunt, esse legitimum. Quia nec Sacræ Scripturæ habent versionem legitimam, ex qua sensus ille eriuatur; nec testimonia Patrum ex primis quinque sæculis, quibus idem sensus comprobetur; quæ duo fundamenta ad probandum aliquod dogma fidei ipsi unice admittunt. Videantur DD. à Walsenburch Tom. 1. fol. 689, ubi rem pluribus exemplis declarant.

XIV. Porro quoad Claritatem & perspicui-

tatem S. Scripturæ, advertendum est, duobus modis aliquid dici posse necessarium; uno absolute & simpliciter, ut veritatem hanc vel illam credas: altero sub conditione, nempe si aliqua fidei veritas alias scitu & creditu non absolute necessaria, nobis proponatur cum errore opposito, non possumus veritatem hanc rejicere, & errorem illi oppositum amplecti; cum infidelitas sit prohibita; unde sub conditione dicitur talis veritas esse necessaria ad salutem, scilicet si nobis ad credendum proponatur. Priori modo paucarum veritatum fides & cognitio Fidelibus quibusvis est necessaria ad salutem, æque fere omnes in Scripturis perspicue docentur, & pleræque in Symbolo Apostolico comprehenduntur, ac proinde non sunt obscuræ & dubiæ, ut Judice opus sit, qui sententiam de illis ferat. Posteriori modo se habent ceteræ veritates omnes, de quibus inter nos & Adversarios controversatur, quæ cum tantum sub conditione (nempe si sufficienter una cum oppositis erroribus explicatæ fuerint) ad salutem scitu creditique sint necessariae, sit, ut istæ non ita clarè in Scripturis explicentur, quin diversimodè intelligi, & in dubium revocari queant, atque ipso facto in dubium revocentur. Hoc posito. Loquendo maxime de posterioris modi veritatibus,

XV. *Doctrina quinta.* In Sac. Scriptura multa sunt valde obscura & intellectu difficilia. Ita omnes Cathol. DD. Prob. 1. Testimonijs utriusque Testamenti. David Propheta in legis Moisaicæ intellectu tantam difficultatem expertus est, ut sæpe divini luminis auxilium imploraret, præsertim Psal. 118. Nam v. 18. exclamat: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* v. 34. *da mihi intellectum & scrutabor legem tuam.* v. 73. *da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* v. 135. *faciem tuam illumina super servum tuum; & doce me Justificationes tuas.* v. 125. *da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua;* quæ postulata planè frivola forent, si mandata Dei per se tam clara essent, perinde ac si quis in meridie lampadem accendi rogaret.

XVI. In Novo Testamento habemus apertum testimonium Act. 8. v. 28. ubi Eunuchus Candacis Regiæ in curru legens Isaiam Prophetam, & à Philippo interrogatus: *Putasne intelligis, qua legis,* respondit, *quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi.* Ipsos etiam Apostolos non semper intellexisse Scripturam, patet ex Evang. Lucæ 18. cum enim Christus de imminente sua passione dixisset: *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas,* ait Sacer Textus v. 34. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* In eodem Evangelio cap. 24. v. 23. duos discipulos in Emaus euntes obiurgavit: *ô stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt propheta, nome hac oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Moysè & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Ibidem v. 45. *Post resurrectionem aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Ergo prius non intellexerunt. Joan. 51. 39. hortatus est Judæos: *Scrutamini Scripturas,* quod supponit, multa occulta latere, quæ indigent accuratiore consideratione. Clarissime demum 2. Petri ultimo v. 16. ubi loquens Princeps Apostolorum de Epistolis D. Pauli ait: *In quibus sunt quedam difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut &*

caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Ubi non esse sermonem solum de quibusdam phrasibus Apostoli, tum ex eo patet, quod Petrus asserat, errorem in ijs rebus intellectu difficilibus asserre animæ perditionem, tum satis colligitur ex ipsis rebus, quas sanè explicatu difficilimas in suis Epistolis Apostolus tractat, uti est Prædestinationis mysterium: Legis Novæ & Mosaicæ comparatio, atque hujus inutilitas: gratiæ Justificationis cum necessitate operum Conciliatio: Justificatio fidei: fœmitis Infectio, seu carnis inobediencia: transmissio peccati Originalis in omnes homines: sacerdotium Melchisedech, ipsiusque Christi sacrificium secundum ordinem Melchisedech &c.

XVII. Probatum secundò ex testimonijs SS. PP. qui licet ingenio, doctrina & scientiâ excelluerint, & dies noctesque in scripturarum meditatione infuserint, tamen quædam intelligere non potuerunt, quæ fusè relata videri possunt in antiquo Papatu Jacobi Keller Tom. 1. à fol. 512. sufficiat nobis unus & alter. S. Augustinus Lib. 2. Doctrinæ Christianæ cap. 16. multis, inquit, & multiplicibus obscuritatibus decipiuntur, qui temere legunt Scripturas, quod totum divinitus provisum esse non subito ad edendam labore superbiam; adde etiam ad humilitatis exercitationem, ad majestatem scripturæ tuendam, ad occultanda hostibus fidei nostræ mysteria &c. Idem S. Pater cum à Januario videretur omnia in Scriptura intelligere, & nihil ipsum latere, graviter id ferens sic ad illum Epistola 119. cap. 21. rescripsit: *Tantum absun ab eo, quod putasti nihil me latere, ut nihil in Epistola tua legerim tristius, quia & apertissime falsum est, & miror, quia te hoc latet, quod non solum in alijs innumerabilibus rebus, sed etiam in ipsis Sac. Scripturis plura nesciam quam sciam.* Prædicantes debent invertere verba D. Augustini, & dicere de se, quod multò plura sciant in scripturis, quam nesciant. D. Hieron. Epist. ad Algastiam Q. 8. omnis, inquit, *Epistola ad Rom. nimis obscuritatibus involuta est.* Et de Apocal. D. Joan. ad Paulinum sic scribit: *tot habet Sacramenta, quot verba.* Constat in reliquo Bibliorum codice multa esse obscura ac intricata, ut notant illi, qui legerunt. Prædicantibus omnia sunt plana clara & intellectu facilia sed cum unquam illis objectum esset, quis sit sensus Ecclesiastici 42. v. 24. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens instar piscis obmutuit.*

XVIII. Probatum tertio ex communi sensu & experientia. Nam si ita se haberet res. Cur inter illos, qui S. litteras recipiunt, de prioris generis veritatibus nullæ unquam: de posterioris autem innumeræ semper controversiæ exoriuntur? De Justificatione viginti diversissimas sententias esse secundum scripturam inter solos Confessionistas fatetur Osiander Apolog. contra Philippum. Circa sola illa verba Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum* & v. 28. *Hic est sanguis meus.* Christophorus Raspergerus ducentas hæreticorum Interpretationes collegit, & peculiari Libello Ingolstadij 1575. impresso vulgavit. Cur priores veritates totus Christianus populus unanimiter admittit: in posterioribus autem eruendis, illustrandis, confirmandis omnes Scholæ & DD. cujuslibet Religionis assidue defudant? Cur in his errant tam multi: in illis nemo? profectò alia ratio assignari non potest, quam quod priores illæ veritates

clare & perspicue in Scripturis sunt expostæ: posteriores autem delirescunt dubiæ & obscuræ, in quibus idcirco Judicem & Interpretem quaerere debemus. Hinc ingenue confitetur Lutherus in Præf. operat. in Psal. *Ignorare se, an legitimam habeat, nec ne, intelligentiam psalmorum: & impudentissima temeritatis arguit eum, qui audeat profiteri, unam scripturæ locum à se in omnibus partibus intellectum.*

XIX. Confirmatur Veritas nostra ex eo, quod DEUS, sicut in alijs rebus, ita etiam in Ecclesia voluerit servare ordinem ad Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in edificationem Corporis Christi, id est, Ecclesiæ.* At hic ordo non servaretur, si scriptura esset tam clara ac perspicua, ut ab omnibus intelligi & explanari posset. Esto igitur Sac. Scriptura sit clara in se, cum à Patre Luminum sit profecta: minime tamen est clara ad nos homines relata, sed requirit magisterium Ecclesiæ, ut unusquisque necessaria certò intelligat, uti bene advertunt DD. à Walenburch Tom. 1. à pag. 601. fusè hac de re tractantes.

XX. Doctrina sexta. Obscuritas Sac. Scripturæ ex duplici Capite provenit. Primò, ex rebus, de quibus agit; sunt enim frequenter res sublimes & cœlestes, quæ sub sensum non cadunt, atque idcirco illas imbecillitas nostra non capit juxta illud Christi Joan. 3. v. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixerò vobis cœlestia creditis.* Sunt etiam aliquando res longinquitate temporis à nobis distantes, ut futurae extremis Antichristi temporibus, & quæ olim fuerunt in veteri lege, & ante illam; hæ profectò non possunt non asserere difficultatem & obscuritatem propter illius ævi à nobis distantiam, & propter ignorantiam aliarum circumstantiarum.

XXI. Secundò provenit ex modo easdem res proponendi & explicandi. Nam Sac. Scriptura abundat metaphoris, allegorijs, catresibus, antiphrasibus &c. multaque Symbolis involuta de industria proponit, sicut facit David Psal. 77. v. 14. *Si dormiatis inter medios clericos, pennæ columbae decore, & posteriora dorsus ejus in pallore auri: ubi per symbolum columbæ propè jam captæ, sed celerim pennarum volatu præfens periculum evadentis indicat felicitatem filiorum Ecclesiæ Christianæ & terminis & manibus hostium (à quibus comprehensivi videbantur) adjutorio divino velociter evadentium. Quid hoc sensu abstrusius & obscurius? & tamen tales obscuritates simplices comparative & illative plurimæ in Sac. Scriptura reperiuntur, quomodo ergo clara absolute dici poterit? videri potest Becanus in Manuali Lib. 1. cap. 1. Q. 5.*

XXII. Sed cur DEUS Sacram Scripturam adeo voluit obscuram? Dico breviter, voluisse, tum ne vilesceret, tum ut honestam in hominibus excitaret in illa scrutandâ occupationem, tum ut ex difficultate cresceret studij ejus delectatio, tum ut altius mentibus nostris insingeretur diu quæsitæ & versatæ, tum ut in Ecclesiâ servaretur ordo inter DD. & discipulos, inter Pastores & oves, inter Presbyteros & Laicos, qui ordo, ut paulò supra dixi, non servaretur, si Sac. Scriptura esset tam clara, ut promiscuè ab omnibus intelligi posset, 1. Corinth. cap. 12. v. 29. ad

ad Ephes. 4. v. 11. cit. & Malach. 2. v. 7. ubi dicitur: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent &c.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XXIII.

Primus est Gerhardi lib. 2. Part. 1. fol. 168. & omnium aliorum modernorum Sectariorum, sensum duntaxat Literalem admittentium, Mysticos quosvis tanquam nugas & insanias deridendo. Nituntur his argumentis. Tum quia fundamentum fidei oportet esse certum, quales non sunt mystici, sed varij & incerti. Tum quia ipsimet D. D. Pontificij fatentur, ex mystico sensu non peti argumentum firmum, Tum quia varietas & pluralitas sensuum parit æquivocationem, quæ vim argumenti minuit.

XXIV. Contra hunc errorem est, quod non solum SS. Patres sed etiam D. Paulus Apostolus ijs frequenter ulus fuerit, & 1. ad Corinth. 10. v. 11. affirmet, totum Verus Testamentum esse plenum sensibus mysticis, *hæc omnia*, inquit, *in figurâ continebantur illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram; etsi fatendum, cum ex figura veteris testamenti in novo Testamento explicata sumitur argumentum, jam non solum à sensu mystico, sed literali quoque declarante mysticum depromi argumentum.*

XXV. Imò DEUS nonnunquam magis intendit sensum mysticum, quàm litteralem; aliàs multa ejus præcepta in veteri testamento tradita & literaliter solum considerata viderentur indigna divinâ sapientiâ, & majestate, nisi latentia mysteria inspexisset v. g. Sacrificium Agni Paschalis Exodi 12. tot ceremonias requirebat, quæ profusæ ad DEI cultum nihil pertinere viderentur, nisi figuram Christi gessissent; nempe Agnus debuit decimo die mensis quatruiduo ante immolationem præparari; quid hoc ad rem? quid interest, quo die pareretur? nempe Christus quatruiduo ante Passionem Hierosolymam erat ingressurus; deinde debuit assari, non elixari ad significandum, quod Christus sicissimè sine omni solatio esset moriturus; insuper sanguis ejus quatuor locis postium fuit aspergendus, scilicet in formam crucis: nec os ejus frangere licebat, quia Christo nullum erat frangendum, ut signatè notat Joan. cap. 39. v. 36. Apertè igitur Scripturæ repugnant, qui mysticam hanc explicationem tollere laborant.

XXVI. Respon. Ad Primum. Fundamentum fidei utique debere esse immotum & certum. Atqui tales sunt etiam sensus mystici, si de ijs vel ex declaratione Ecclesiæ, vel ex communi interpretatione Patrum, vel aliunde satis constet. Ad secundum. Doctores Pontificios fateri ex mystico sensu non peti argumentum firmum regulariter, & à toto genere; quippe non constat in particulari de sensu mystico cujusque loci Scripturæ; & si quando constat, non tam ex spiritali quàm literali sensu petitur argumentum, Ad Tertium negando assumptum; modò constet, quoniam sensu verba ad argumentum ac-

commodentur; perinde ut æquivoca verba vim argumentationis minimè impediunt, si modò determinatè constet, quo sensu illa usurpentur. Ita multiplicitas etiam sensus Spiritualis adjuncti ad litteralem efficaciam argumentationis non impedit, quia hi duo sensus subordinantur; spiritalis enim fundatur in literali, ut ait S. Thom. cit. 2. 10. ad 1.

XXVII. Cæterum huic errori consentit Apologia Confessionis August. Tit. de Sacrificio Missæ, ubi dicitur: *Allegoria non pariunt firmas probationes.* Interim tam Calvinistæ alique Sectarij, quàm Lutherani parùm memores hujus suæ Doctrinæ, quando de Pontifice agendum est, perpetuis iisque plerumque ineptissimis allegorijs ex Daniele & Apocalypsi petitis convincere se posse temere existimant, Romanum Pontificem esse Antichristum. Videri potest Tanner Parte 2. Anatomix Confession. Augustinæ, Demonstrat. 5. §. 22. à N. 238.

XXVIII. Error secundus. Tota Biblia esse clarissima, & à quolibet facile intelligi posse. Sic Scribit Lutherus L. de seruo arbit. *De tota Scriptura dico, nullam ejus partem volo obscuram dici.* Petrus Molinæus fol. 3. sui operis tradit: omnia, quæ credi oportet, ita dilucidè in Sac. Scriptura exprimi, ut nullâ declaratione indigeant. Idem sentiunt plerique alij Sectarij nominatim Meno Hanneken in suo Irenico Fol. 611. Gerhard. Lib. 2. Part. 1. à fol. 161. & Amesius Tom. 1. à fol. 37. hoc tamen addito, quod Scriptura, etiamsi alicubi sit obscura, tamen illud ipsum alibi clarissimè proponat. Probant falsam hanc suam opinionem. 1. ex Sac. Script. ubi hæc passim dicitur Lux, Lumen, Lucerna &c. quibus directè repugnat obscuritas Psal. 118. v. 15. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* 2. Petri 1. v. 19. *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefactis attendentes, quasi lucerna in Caliginoso loco,* Psal. 10. v. 9. *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Probant 2. ex PP. D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 6. scribit: *Magnificè & salubriter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis aperiorebus fami occurreret: abstrusioribus autem fastidia detergeret; nihil enim fere de illis obscuritatibus eruit, quod non planissimè dictum alibi reperiat, S. Chrisost. Hom. 3. in 2. ad Thesalon, ita scribit: Omnia clara sunt & plana in Scripturis, quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Probat. 3. si Scriptura foret obscura, videretur Deus studio voluisse homines decipere, & in errores præcipitare eo modo cum illis loquens, quem sciebat ab eis intelligi non posse. Consequens repugnat ejus Bonitati. Ergo &c.

XXIX. Errorem hunc ipsi, qui eum committunt, reiiciunt, cum passim fatentur Scripturam intelligi non posse sine Spiritu Sancto & oratione præmissâ; aut etiam cum Kennitio in Exam. 4. Sess. Concil. Trid. dicant, *grati & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca (obscura scilicet) commentarijs suis illustrarunt.*

Pro solutione bene notandum, Sacram Scripturam duobus modis considerari posse, 1. materialiter, prout in scripto jacet. 2. formaliter, prout ab Ecclesia & PP. declarata fuit; priore modo est obscurissima in pluribus locis, ut parte præcedente ostensum; posteriore modo est clara & aperta; quæmadmodum fere Logica, alij

que libri Aristotelis per se sunt obscuri: si verò idem retè explicentur, & declarentur, perspicui dici possunt, & sic defacto Logica bene explicata fax omnium scientiarum dicitur. hoc notato.

XXX. Respon. ad 1. Sac. Scripturam dici Lumen, Lucem, Lucernam formaliter sumptam, hoc est, probè declaratam & intellectam; quod aduertens David Psal. 118. v. 130. ait: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Eandem loqui etiam de necessarijs ad salutem omnibus hominibus doctis æquè ac indoctis, nimirum de præceptis decalogi, fide in Deum, & in Christum JESUM &c.

XXXI. Ad 2. Patres similiter non loqui de Scriptura secundum litteram, sed jam declarata per Ecclesiam; quomodo enim alias scripturæ obscuritatem tribuerent, quod tamen faciunt, ut videre est apud Bellarm. lib. 3. de Verbo DEI, cap. 8. Quomodo alias Chrysost. hom. 40. in Joan. Scripturam vocaret *thesaurum profunde reconditum*? quomodo alias August. diceret, *plura se in Scriptura nescire, quam scire*? adde Sanctum istum Patrem addidisse *scire*, ut insinuaret quædam in Sacris Litt. esse obscurissima: item difficile esse repertum, ubi id, quod obscurè dicitur, exponatur clariùs.

XXXII. Ad 3. Non repugnare divinæ Bonitati excæcationem rebellium & pertinacium ingeniorum per inintelligibilem obscuritatem juxta illud Isaïæ 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggravat, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum;* quem locum adducit Christus Matth. 13. v. 14. reddens rationem, cur tam obscurè & in parabolis locutus fuerit. Interim DEUS hanc ipsam iracundiam misericordiâ temperavit juxta Habacuc. cap. 3. v. 2. *Cum iratus fueris, misericordiâ recordaberis;* suppeditavit enim media declarativa Scripturæ, scilicet Ecclesiam & Patres, quorum operâ, si quis uti velit, facile poterit verum sensum assequi.

XXXIII. Error tertius. Scriptura est quidem obscura, non tamen omnibus, sed ijs tantum, qui non satis attentè eam legunt, aut præjudicio, confidentiâ, invidiâ, odio, ambitione & alijs affectibus pravis fascinati temerè in scripturæ interpretationem irruunt. Ita Luth. lib. de sermo-arbit. Brentius in Prolog. contra Petrum à Soto. ubi ait, *Impijs & incredulis tantum scripturam esse obscuram.* Brochman de script. c. 2. Q. 6. & Memo Hanneken, qui in Irenico suo fol. 615. insuper requirit timorem DEI, invocationem Spiritus Sancti, attentam orationem, & alia media.

XXXIV. Iste error solum impudentiam & temeritatem priori addit. Nam in primis impietatis, incredulitatis, variorum vitiorum, & neglectæ orationis, aliorumque mediorum reos facit SS. Patres & totam Ecclesiam primitivam Apostolicam, quæ Scripturas longè aliter interpretata est, quam Lutherus, Brentius, Brochman, Amesius, Gerhardus & Hanneken; quis autem credat, illa cacumina Ecclesiæ, Sanctissimos PP. Cyprianum, Irenæum, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, & alios innumeros illis vitijs, pravis affectibus, & negligentijs obnoxios atque in explicandis Scripturis hallucinatos fuisse: hos autem homunciones solos divino Spiritu repletos; puros, & innocuos Sacrarum Lit-

terarum genuinum sensum penetrasse. Et nunquid extremæ impudentiæ cenferi debet, quod homo quispiam obscurus, qui nullam infallibilitatis promissionem à DEO sibi factam ostendere potest, judicium & interpretationem suam præferre universæ Ecclesiæ Apostolicæ ausit? quæ Ecclesia ex promissione DEI falli & errare nescit.

XXXV. Deinde idem Error non solum omnes modernos DD. Catholicos: item omnes Calvinistas, sed etiam plerisque cæteros Lutheranos, cum quibus ipsi in scripturis explicandis v. g. de ubiuitate Corporis Christi minimè conveniunt, eorundè vitiorum, pravorum affectuum, & negligentiarum incusat; si enim Luther, Brentius, Brochman & Hanneken scripturas rectè intelligant, alij omnes aliter sentientes errent, necesse est; si autem errant, scripturæ ipsis obscuræ sunt propter ipsorum impietatem, incredulitatem, negligentiam &c. Demum si Sacre Litteræ ad rectam sui intelligentiam requirant tantum fidei ardorem, tantam vitæ innocentiam, tantam affectuum puritatem, atque orationis devotionem pro Spiritu S. illuminatione impetranda, quomodo non sunt intellectu difficiles & obscuræ? aut aperti clarique textus tantis impendijs indigent, ut rite percipiantur? quapropter error iste à priori non est alius, sed solum impudentior.

XXXVI. Dicunt. 2. ad Corinth. 4. v. 3. scribere Apostolum. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum: in ijs, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non surgeat illis illuminatio Evangelij, gloriæ Christi, quæ est imago DEI.* Unde sic ratiocinari licet: Sacra Script. est Infidelibus operta. Ergo Fidelibus non est operta, sed clara. Respon. negando consequ. Nam Apostolus non loquitur de Scriptura, sed de sua prædicatione indicans, Infideles propter excæcationem mentis non credere, Christum venisse in hunc mundum, & pro nobis passum & mortuum esse: fideles autem hoc credere audierunt illius prædicatione; ideoque Evangelium seu prædicationem hanc suam istis fidelibus esse claram, illis infidelibus autem opertam. Videri possunt Tirus in cit. locum, ubi pro nostro responso S. Thom. allegat: Item DD. à Wallenburch Tom. 1. ubi pag. 659. de hoc Apostoli textu fusè agunt.


XXXVII. Error quartus est multorum Sectariorum hoc tempore tam Calvinistarum, quam Lutheranorum asserentium, Sacram Scripturam multis quidem locis obscuram, attamen in rebus scitu necessarijs perquam claram esse. Non autem inter istos convenit. Nam, ut videre est apud cit. Authores pag. 650. aliqui asserunt id absolute respectu cuiusque mentis tantum suæ comporis; alij respectivè, insuitu solum regeneratorum. Probant maxime ex illo Pauli ad Rom. 10. v. 6. 7. & 8. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in celum, Christum deducere: aut quis descendet in abyssum, hoc est Christum à mortuis reducere? prope est verbum in ore tuo, & corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod predicamus.* Ergo omnia, quæ sunt de fide Christiana, clara sunt in corde & ore omnium vel absolute, vel respectu regeneratorum.

XXXVIII. Error iste (absolute loquendo, non respectivè de Renatis tantum) paulò est modestior; si enim dicere vellent, Sac. Scripturam in rebus

rebus scitu necessarijs claram esse post Ecclesie interpretationem, non procul a veritate abessent; at vero remota Ecclesie declaratione, quam ipsi non curant, a veritate deviant. Nam Inprimis ex sola Scriptura scire non possumus, quinam libri sint Canonici; item quinam Articuli fidei omnibus necessarij sint credendi. Deinde etiam in illis articulis, quos ipsimet Adversarij pro necessarijs agnoscunt, magna est obscuritas, & quod uno loco clare dictum videtur, in alijs obscuratur. Nunquid elara sunt hæc verba Matth. 26. v. 26. *Hoc est Corpus meum*, & realem Christi præsentiam aperte indicant, sed alibi obnubilantur Joan. 6. v. 36. *caro non prod. est quidquam.* Joan. 12. v. 8. *me autem non semper habebitis.* Unde ipsi etiam Sectarij acerrime inter se digladiantur, Lutheranis veram realem Christi præsentiam in Eucharistia asserentibus; Calvinistis eandem negantibus. Similiter Justificatio hominis alibi soli fidei adscribi videtur ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*; alibi verò etiam opera requiruntur ad Rom. 2. v. 13. *factores legis justificabuntur.* Joan. 2. v. 29. *qui facit justitiam, justus est.* Ergo nec in articulis fidei scitu necessarijs scriptura secundum se spectata est clara. Et unde quis novit, se regnitum, & Ecclesiam suam esse Regnitorem? quo lumine? quâ gratiâ Spiritus Sancti? quâ necessariâ ipsi suisque confortibus præcæteris illud lumen sit collatum? Et quid si alius ex alia Secta idem lumen tibi neget, & sibi collatum assermet, quo argumento illum refelles? an non mera hæc sunt Enthusiatarum somnia?

XXIX. Respon. ad probationem, vel ex isto adducto loco apparere, Sac. Scripturam obscuram esse, dum illum minimè capiunt Adversarij. Nam ut videre est apud Cornelium à Lapide, Tirinum & alios Interpretes, agit hic loci Apostolus contra Judæos Legi assuetos, sic quasi eos alloquens: ne dicatis ó Judæi ad certitudinem fidei & justificationis opus esse præsentem Christo, ut eum videamus, ejusque aspectu fanemur, & justificemur, ita ut vel e cælis, vel ex inferis revocatus sit, hoc inquam, non arbitremini à vobis postulari; quippe vicinus & facilis jam est justificationis modus, ac prope nos est verbum (justitiæ & salutis) scilicet si corde vestro in Christum mortuum ac resuscitatum licet absentem credatis, atque ore eundem profiteamini; & hunc Christum vobis annunciamus. Iste sensus uti clarus & certus est, ita minimè favet Adversarijs, sed nobis, dum constat, ab illis non intelligi, adeoque ipsidem esse obscurum. Claudat Controversiam hanc, & os Novatoribus atque affectis suis Lutherus duobus diebus ante mortem suam, referente Aurifabro in mensalibus Lutheri cap. 1. ita farus: *Scripturas s. sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum prophetis, ut Elia, & Eliseo; Joanne Baptista, Christo, & Apostolis Ecclesias gubernavit.*


(IHS.)



CONTROVERSIA VI.

DE USU SACRÆ SCRIPTURÆ.

DUO sub hoc titulo comprehenduntur. Lectio privata Sac. Scripturæ in vulgaribus linguis Germanica, Gallica, Anglica &c. Et Reverentia SS. Litteris debita; prius horum maxime reprehendunt Sectarij & inde etiam S. Scripturas parùm à Catholicis æstimari arbitrantur; propter quod etiam posterius tractandum.



PARS PRIOR.

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Non licet Biblia in vulgaribus linguis edi, vendi, legi sine facultate Episcoporum. Ita statutum in Indice Librorum prohibitorum; qui Concilio Tridentino subjungi solet. Reg. 4. quod interdictum per DD. certos a summo Pontifice ad id deputatos confectum, licet per se vim legis non habeat, tamen per approbationem pontificiam vim legis obtinuit; quia Pius IV. Clemens VIII. illud judicium cum omnibus regulis suis approbarunt, & ab omnibus servari jusserunt; Ita autem se habet regula illa quarta: *Cum experientia manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarij Bibliorum à Catholicis Auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerunt ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atq. pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere presumpserint, nisi Biblijs prius Ordinario redditis, peccatorum remissionem percipere non possint.*

II. Porro non omnibus expedire legere Biblia, docet experientia. Refert Thomas Waldensis lib. 2. cap. 70. & 73. apud Wicleffistas ex licentia legendi Sac. Scripturam Mulieres ausas fuisse non absque Ordinariorum contemptu & risu publicè Biblia interpretari & concionari. Idem de Hussitis scribit Cochleus lib. 1. & 4. Historiæ Hussiticæ. Cum Waldenses circa Annum 1160. exurgentes S. Biblia in linguam Gallicam & ipse Wicleff in Anglicam transferrent, quales tumultus, Deum immortalem, in utroque regno fuerunt moti! Cum enim indocti & audaces non intelligant, quæ legunt, putent tamen se intelligere, & quod semel apprehendunt, non patiantur sibi eripi, facile in varios & perniciosos labuntur errores; unde sapientissimè factum est illud interdictum. Ostendit etiam Sanchez in Libros Regum fol. 82. Judæis totam scripturam vulgariter non esse permissam, sed aliquot libros prohibitos ante 30. annum ætatis, præsertim Canticum Canticorum; quid igitur mirum

gha.
er
ologia
mica
XI
94

mirum, si à Christianis similis cautela adhibeatur. Ne tamen istud scrupulos pariat, aliquot norandæ sunt limitationes seu exceptiones.

III. *Prima.* Nemini interdiciam esse lectionem Bibliorum in tribus primarijs linguis Hebraica, Græca & Latina; ut cum Bellarm. lib. 2. de verbo DEI cap. 16. & alijs notant Forerus in antiquo Papatu lib. 1. Q. 22. S. 2. v. 11. & Jacobus Gretscherus in defensione Bellarm. lib. 2. cap. 15. pag. 719. Nam cum hæ linguæ isto tempore nusquam sint vernaculæ, sed tantum doctis cognitæ, non tantum existit periculum ex earum lectione; quia docti tanquam prudentiores visâ difficultate obscuriorum tententiarum solent intellectum cohibere, nec temerè & præcipitanter judicare.

Secunda. Hæreticis de fide dubitantibus, aut fidem vel hujus veritatem indagantibus non esse prohibitam vulgarem Bibliorum lectionem. Nam Ecclesiæ mens non fuit, eos hoc interdiciō completi, ut conijcitur ex intentione Pontificum, qui hæc lege voluerunt animarum salutem prospicere, & nullo modo hæreticorum conversionem impedire; quippe qui non facilè converti possunt, nisi permittatur illis collatio fidei nostræ cum Scriptura, quam ipsi unicam fidei regulam arbitrantur.

IV. *Tertia.* Hodie in Germania & alijs Regionibus septentrionalibus omnibus permessa est lectio Bibliorum vernaculorum. Ita Paulus Layman in Theol. Moral. lib. 2. Tract. 1. cap. 15. prope finem, & præter alios Nicolaus Serrarius in Prolog. Biblicis cap. 20. Q. 3. ubi ait: non puniri, qui in Germania nostra nullâ difertâ petità facultate Biblia vulgata & vernacula Eggij aut Dierebergij (quibus adde Moguntiana recens edita) legunt. Ratio est, quia lectio hæc Bibliorum in his partibus planè est necessaria Catholicis in medio hæreticorum viventibus, ut iisdem assiduò biblicas sententias malè intellectas crepantibus occurrere possint. Versio autem Germanica Lutheri & aliorum hæreticorum prorsus interdiciam est; imò etiam Latinæ versiones hæreticorum præsertim novi Testamenti, cujusmodi sunt Sebastiani Münsteri, & Oecolampadij, Tigurina, Leonis Judæ Varabli nomine inscripta, Castalionis Basiliæ inscripta, Tremelij Genevæ edita &c. Nec habent Sæctarij, cur conquerantur, quod eorum Biblia prohibeamus; ipsimet enim causam dederunt, dum illa pluribus in locis imminuerunt, corruerunt, & falsis glossis perverterunt, atque ita verificatum est verus illud dictum: mali mores faciunt bonas leges.

V. Sed unde constat, licere Catholicis in partibus septentrionalibus legere Biblia in lingua vernacula edita? Respondent aliqui, constare ex tacito permisso Episcoporum; cum enim isti videant, hujusmodi Biblia in omnium manibus versari, & non contradicant, nec puniant, censentur tacitè indulgere. Sed contra hoc est, quod in Indice Librorum prohibitorum videatur Episcopis ablata facultas hujus concessionis; nam in observatione circa quartam regulam sic dicitur: *Advertendum, nullam de novo tribui facultatem Episcopis, concedendi licentiam legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hæcenus mandato & usu Sacerdotum Romanæ & universalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentiam, quod in violatè servandum.* Hinc Layman loc. cit. alijque DD.

consent, Indicem Librorum prohibitorum cum suis regulis non esse receptum in septentrione, ideoque non obligare. Verum hoc etiam difficultate non caret & gravius Romæ accipitur. Quare ut cautius & melius procedamus. Dicendum, etiam Summum Pontificem tacitè concessisse, quandoquidem Nuntij Apostolici passim per Germaniam sparsi & alicubi Residentes, ut Viennæ in Austria, Colonæ in Inferiori Germania, Lucernæ in Helvetia, utique viderunt Consuetum usum vulgarium Bibliorum & Romam perscripserunt, unde nulla nova prohibitio venit, sed dissimulatum fuit, quod est loco tacitæ confessionis; etenim hoc modo leges etiam receptæ in desuetudinem abeunt, suamque obligandi vim perdunt. Responsio hæc vel inde displicere non potest, quod simul & consuetudinem receptam, & auctoritatem Indicis salvam servet, ideoque illâ aliquando usus sum ad similem magni momenti difficultatem solvendam, ubi etiam alios Auctores pro eadem adduxi. Hinc rejiciuntur vanissimæ objectiunculæ Dannhavveri, quæ videri possunt apud DD. à Walenburch Tom. 1. fol. 383.

VI. *Doctrina secunda.* Sacræ Scripturæ tanquam Verbo DEI debetur magna reverentia. Patet per se; Nam si litteras Pontificum Imperatorum Regum ac Principum magna cum veneratione accipimus, ori admovendo, vel etiam capiti imponendo, quid honoris non debemus ipsis DEI Libris ad nos missis? Hinc Ecclesia in Missis solennibus Evangelium osculatur, & thus adolet. Olim in Concilio Liber Evangeliorum in sublimi Throno ponebatur, Christum ipsum representans, sicuti in Concilio Chalcedonensi præsertim Marciano Imperatore factum testatur Card. Baron. Tom. 6. Anno Christi 451. S. August. æquiparat Sacram Scripturam venerabilis Sacramento Eucharistiæ, ut refertur in jure Canonico Capitul. 94. causa 1. Q. 1. Primi Christiani maluerunt mori, quam Sacra Biblia Gentibus dare comburenda, ut ostendit Baron. in Martyrologio 2. Januari. Etiamnum hodie in Domibus Religiosis Lector mensæ semper primò legit Sac. Scripturam stando & detecto Capite, quod non facit in lectione aliorum librorum.

VII. *Doctrina tertia.* Huic reverentiæ Verbo DEI debitæ potissimum tres abusus repugnant. 1. cum verba & sententiæ Sac. Scripturæ ad magicas superstitiones adhibentur; & de his non est dubium, quin ex genere suo sint mortales. 2. Cum applicentur Sacræ Scripturæ ad sortilegium, Biblijs casu apertis rimando futurorum eventus ex occurrentibus sententijs; quod licet olim valde fuerit consuetum, ut testatur Baron. Anno Christi 1052. tamen à graviore peccato excusari non potest, nisi per specialem instinctum fiat, quia alias continet manifestam Dei tentationem, petendo extraordinarias revelationes, & quidem ex præscripto nostro. Videri potest Suarez. Tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 12. 3. Cum ad Jocos scurriles & impuros sermones usurpantur, quod valde reprehendit Trident. Sess. 4. de usu Sacrorum Librorum; si tamen joci non scurriles & impuri sint, sed honesti, quantumvis leviusculi, putarem talem usum Sacræ Scripturæ non esse mortalem, quia non est magna irreverentia. Sed de his Theol. Morales.

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETI-
CORUM.

VIII. **E**rror primus est. Lectionem Bibliorum in quacunque lingua hominibus esse concessam; imò & præceptam. Ita Lutherani apud Gerhard. lib. 2. Part. 1. fol. 246. Et ex Calvinianis Pet. Molinaeus à fol. 223. Amelius Tom. 1. à fol. 25. Et cæteri Sectarij hujus temporis omnes, qui velut pro aris & focis contendunt, Laicos à Scripturæ lectione etiã in vernaculâ linguâ non esse arcendos, sed etiã invitandos. Addunt calumniam, quasi interdîctum hoc Concilij Trid. factum fuisset ex metu, ne per lectionem Sacram Scripturarum errores Pontificij deprehenderentur. *Ingenus est Papa tyrannus*, inquit Meno Haenecken in suo Irenico fol. 20. *Lectioem Bibliorum prohiberi Laicis, ne ex illa consolationem hauriant, agnoscendo DEI bonitatem ipsi oblatam, sed in terrificis tenebris federe debeant.*

IX. Inprimis pro hac suâ perversâ persuasione afferunt varia Testimonia Sac. Scripturæ. 1. habetur Deuteron. 17. v. 18. & Josue 1. v. 8. ubi præcipitur Regibus & Principibus, ut habeant & legant Librum Legis. 2. habetur Isaia 34. v. 16. *Requirite diligenter in lege Domini, & legite.* 3. habetur Joan. 5. v. 39. ubi Christus Judæos ad Scripturam ablegat: *Scrutamini Scripturas.* 4. habetur Actorum 17. v. 11. ubi laudantur Beröenses, quod *quotidie scrutati sunt Scripturas.* Deinde afferunt aliquorum PP. dicta. S. Chrysof. Hom. 9. in Epist. ad Thessal. ubi sic loquitur: *audite, obsecro seculares, comparate vobis Biblia, audite quicunque & uxori ac liberis præstis, quomodo vobis mandat Apostolus legere Scripturas.* Similia habet Hom. 3. de Lazaro & alibi. Item Origenes Hom. 2. in Exod. Hieron. in Epistolis ad Saluinam, ad Furiam, ad Latam, ad Demetriadem & in Epitaphio Fabiolæ. August. lib. 6. Confess. lib. 5. Gregorius Nazian. in Epitaphio Gorgoniae &c. unde sic arguunt. Quidquid antiqui Patres consulerunt, non est ab Ecclesia prohibendum, sed antiqui PP. consulerunt Lectionem Scripturæ etiã mulieribus. Ergo non fuit prohibenda. Demum sic discurrunt. Litteræ ad omnes Scripturæ, & Testamentum pro omnibus factum ab omnibus est legendum, quorum interest, ne ab alijs decipiantur. Sed Scriptura est quasi Dei Epistola ad omnes Scripta, & testamentum pro omnibus factum. Ergo omnibus legenda.

X. Confirmant. In aliquibus locis Catholicis omnis generis impuri libri impunè leguntur, solum Sacra Dei Biblia prohibentur. Ita nominatim Molinaeus fol. 225.

XI. Contra errorem hunc jam supra dictum fuit, non interdici Bibliorum lectionem in Hebraica, Græca, & Latina lingua, imò nec in vernaculâ doctis & prudentibus, sed simplicibus solum & indoctis, qui testificante S. Petro Epist. 2. c. 3. v. 6. *Scripturam Sacram depravant ad suam ipsorum perditionem*; Unde laudantur Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Alexius Comnenus Imperator. Scephanus, Alphonsus, Philippus III. Reges in Ungaria, Aragonia, Hispania & alij sapientissimi viri, quod diligenter frequenterque legerint Sac. Scripturam; si autem metus a-

puud Pontificem esset, ne ejus errores deprehenderentur, potius his Sapientibus, quam simplicibus prohibitio fieret, cum facilius isti Sapientissimi homines notare errores possent.

XII. Respon. 1. Ad Testimonia Sac. Script. ex his nihil evinci. Non ex Deuteron. 17. & Josue 1. Tum quia hoc mandatum non spectat ad Christianos. Tum quia ex Lege Moysis mala est argumentatio ad totam Scripturam. Tum quia Reges isti & Principes sunt sapientes & docti. Non ex Isaia. Quia ibidem loquitur Propheta non de tota Scriptura, sed tantum de suis Prophetijs, ut ex Hieronymo & alijs notat Tirinus. Non ex Ioanne. Tum quia tam græcum verbum *ἱστορίας*, quam latinum scrutamini & pro indicativo & pro imperativo modo intelligi potest. Tum quia loquitur Christus non omnibus, neque idiotis, sed solum scribis & peritis Legis. Non ex Actis. Quia inde non sequitur, liberum esse cuius etiã Laico & Idiotæ de scripturis iudicium. Nam Beröenses erant nobiliores ex Judæis Thessalonice commorantibus; nobiliores, inquam, non solum profapia, sed & indole; & generositate, ut Chrysofomus, Oecumenius & alij; unde promptiores se exhibuerunt ad capessendam Doctrinam Evangelij scrutantes Scripturas, si hæc, quæ à Paulo ex Scriptura asserbantur, ita se haberent. Ex hisigitur alijsque Scripturæ locis clarè apparet; ostendi non posse in Scriptura præceptum legendi Biblia tota vulgariter impressa.

XIII. Respon. 2. Ad Parrum dicta, quando PP. hæc scripserunt, longè alium fuisse rerum statum, & conditionem. Nam 1. tunc lingua græca & latina fuit vulgaris, ut non opus esset vernaculâ. 2. illi PP. nondum experti fuerunt pericula plebis ex lectione Sac. Scripturæ, quæ nunc in occasionem hæresum emerferunt. 3. nullum adhuc exierat Ecclesiæ interdîctum. 4. homines erant aliter constituti & firmiores in fide, quam his ultimis temporibus. Quod si omnes Laici forent, sicut fuerunt Paula Romana, Fabiola, & aliæ femine; quibus S. Hieronymus lectionem Scripturæ suasit, aut propter hanc laudavit, libenter etiã hodie scriptura S. legenda omnibus in vernaculâ linguâ permitteretur, nunc autem, ut sapientissimè ait Gregorius, in vulgo non requiritur scientia, sed bona vita. Nam quod uno tempore prodest, non semper prodest; bona est medicina & juvat ægrotos, bene valentibus nocere potest; vinum suo tempore lactificat cor hominis, aliquibus infirmis est venenum, & mortem affert juxta illud antiqui Poetæ.

*Temporibus medicina valet; data tempore profunt,
Et data non apto tempore vana nocent.*

XIV. Respon. 3. Si omnes possent legere & intelligere, concedi Majorem: Secus negari. Sed Scripturam multi non possunt legere, multò minus intelligere, ut ex dictis constat; quare magis decet, ut alijs doctioribus fidant. Hinc aurea verba S. August. Lib. contra Epist. fundamenti c. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.*

XV. Ad confirmationem dicimus, hanc aperti mendacii convinci ab Indice Librorum prohibitorum, ubi regulâ 7. expressis verbis omnes impuri libri prohibentur, ne bonos mores corrumpant, cum non solum ad fidem, sed etiã ad vitam

vitam & bonos mores attendi oporteat. Videri potest Forer in antiquo Papatu Part. 1. à fol. 683.


XVI. *Error secundus est.* Sacram Scripturam à Romanis vilipendi, tanquam matricem litigij inhonoratam, sub scamno negligi, tractati velut nasum cereum, regulam plumbeam, illius loco in omnibus Academijs & Cathedris doceri Platonem & Aristotelem, subtiles distinctiones Magistrum sententiarum, Seraphici Doctoris Aquinatis, & obscuri Scoti (ut nomen hujus sonat) sermones Discipuli, quorum titulus: dormi secure, & hujusmodi humanas inventiones, imò Sacre Scripturæ falsa affingi v. g. Purgatorium, Indulgentias, Invocationem Sanctorum &c. Ita passim hæretici non solum scribunt in libris, sed etiam in pulpitis ac plateis clamitant, atque imperitæ plebi instillant absque alia ratione & probatione, solum ut Romanam Ecclesiam & Doctrinam apud suos faciant exosam.

XVII. Contra Errorem istum & apertissimam calumniam. Inprimis sunt Biblia Sacra maximis sumptibus antè tempora Lutheri in lucem edita cum glossis, Commentarijs, Concord. &c. Item ordinariæ Lectiões S. Scripturæ in Breviario, seu Horis Canonicis & Gradus Theologici, ac nominatim Baccalaureatus Biblici in Academijs. Deinde Magistri Sententiarum distinctiones nihil sunt aliud, quàm interpretatio Articulorum Fidei & Scripturæ Sacre ex doctrina SS. Patrum. Summa S. Thomæ Aquinatis (quem nos non Seraphicum, sed Angelicum appellamus) est re ipsa methodicus Commentarius Sac. Scripturæ, dum S. Doctor omnia pro possibilitate in Sac. Scriptura fundat, & ad istam dirigit. Scotus (cujus nomen non obscurus, sed subtilis exponitur) pari modo nusquam Sac. Scripturam seposuit. Si Gerhardus, Amestius, Tobias Wagner, Meno Hanneken aliique Prædicantes atque istarum calumniarum fabri Catholicorum Scriptorum postillas ac homilias sacras (quæ ante Lutherum in magno numero fuerunt in lucem editæ ac impressæ) absque animi perturbatione imò perversione legisent, aut adhuc legerent, plus allegatæ ac declaratæ scripturæ in ijs reperirent, quàm in Concionibus Magistri sui Lutheri. Plato & Aristoteles jure meritissimo in Philosophia æstimantur, & habentur tanquam Magistri, atque ex eorum libris ea depromuntur, quæ ex lumine naturæ declarationi fidei seruire valent.

XVIII. Quare Lutherus Nos Romano-Catholicos non in Biblia tanquam librum ignotum ac sub scamno latentem vocavit; ut vanè spargunt hæretici, sed ad arma induenda adversus suam hæresin excitavit. Demum hæreticum convitium est, nos Catholicos Sacre Fidei nostræ dogmata de Purgatorio, Indulgentijs, honorandis & invocandis Sanctis &c. Sacre Scripturæ affingere. Nam hos fidei Articulos suum in Scripturis solidum habere fundamentum, abunde hætenus probaverunt Romani scriptores, idque nos suis locis faciemus. Nec aliud unquam Sectarij ostenderunt. Negare has veritates cum antiquis hæreticis poterunt: oppositum ex Sac. Scriptura, SS. Patribus, Concilijs & sanâ ratione probare nunquam valuerunt.

XIX. Restat quæstuncula; An Biblia ad Lutheranos à Catholicis venerint? Nolunt hodie admittere Sectarij, ut videre est in non-Catholico Papatu Jacobi Hailbrunner, ubi fol. 525. sic scri-

bit: Nos habemus Biblia non à Papis Romanæ Ecclesie, sed ab ipso Deo &c. Sed rudem discipulum corrigi ipsemet Magister Lutherus Tom. 4. Jen. p. 320. Et Tom. 6. Jen. p. 92. hisce Verbis: Nos fatemur, quod sub Papatu multum Boni Christiani, imò omne Bonum Christianum sit, & unde pervenit ad nos; nempe veram Scripturam, verum Baptisimum &c. fatemur esse in Papatu. Ecce quod discipuli negant, aperte affirmat Magister. Si ergo nostra sint Biblia, & in Ecclesia nostra Romano-Catholica ab Apostolis relicta fuerent tanquam pretiosum Depositum; nobilis Possessio, dives Hæreditas. Vos Lutherani & quivis alij Sectarij non habetis eadem Biblia, nisi furtim à votifrago Apostata Luthero exportata: nisi sacrilegè corrupta & vitata ab eod. Lutero Patre vestro: nisi impiè usurpata contra genuinum sensum; quem Spiritus Sanctus primitus intendit, ac semper hætenus retinuit; retinetque Sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia. Videri possunt DD. à Walenburch Tom. 1. pag. 877. ubi ex Terulliano fuse ostendunt, possessionem Sac. Scripturarum Catholicis competere. Nos brevitati consulimus.



CHRISTUS.

IN hac nobilissima Materia SS. Patres olim plurimum atq; utilissime laborarunt contra Samosethenos, Arianos, Nestorianos, Eutybianos, & alios veteres hæreticos, eorum errores solidissime refellendo & rejiciendo. Hodie cum Sectarij, in nostris saltem partibus, à Catholicis in plerisque parum dissideant; istis breviter expeditis, ea solum exactius tractabimus, in quibus idem à Catholica Ecclesia doctrina discedunt, suis quaque Controversijs complectendo.



CONTROVERSIÆ VII.

AN CHRISTUS SIT VÉRUS DEUS.

IN hac Consideratione copiosi sunt Theologi Scholastici cum S. Thoma in 1. & 3. Parte, ex quibus nos nonnulla libabimus & oppositos errores refutabimus. Nomen DEI intelligitur Ens, quo majus meliusque excogitari non potest, adeoque illimitatæ perfectionis, primum, à se ipso existens, à quo quidquid præterea existit, dependet non solum, ut à causâ Efficiente, sed etiam ut à Fine. Nomen verò Christi est græca vox, idemque quod *Unctus*, & secundum etymologiam non est nomen proprium, sed appellativum, quod pluribus convenit, præsertim Regibus & Prophetis, qui juxta ritum veteris testamenti inungebantur. At Jesus, de quo hic agimus, per antonomasiam vocatur Christus, Hebraicè Messias, quia non tantum extrinseco oleo, sed internâ abundantissima gratiâ, imò ipsâ Divinitate inunctus, & sanctificatus fuit.